Nr. 92.

# Dissertatio
ex
eloquentia sacra

# „Eloquentiae sacrae et profanae comparatio"

quam

ad consequendum gradum Magistri
s. Theologiae
in Petropolitana R.C.E. Academia C.
elaboravit

Jos. Skuiretzky
Presbyter Dioecesis Samogitiensis
s. Theologiae Candidatus.
Eiusdem Academiae Alumnus.

Petropoli.
1910 an.

Dissertationis
ad obtinendum gradum
s. theologiae Magistri
Thema ex eloquentia sacra:

# Eloquentiae sacrae et profanae comparatio.

I. Quas partes habuerit eloquentia graecorum Romanorumque in progressu eloquentiae sacrae: 1, quomodo praecepta antiquae rhetoricae eloquentiae s. sint accommodata; 2, utrum et qua ratione veterum oratorum eloquentiam viri ecclesiastici imitati sint.

II. Quae sint praecipuae notae, quibus utraque eloquentia probe distinguenda est?

Conclusio. Quae praecepta constituenda sint, quibus usu cotidiano concionatorem ea ex parte (ratione discriminis inter utramque eloquentiam) regi oporteat?

Ut eloquentiae sacrae et profanae comparatio rite instituatur, transcurramus necesse est longam saeculorum seriem inde ab origine eloquentiae ad nostra usque tempora. Quodvis enim saeculum habuit suas peculiares notas, quae in eloquentiam utramque influxum habuerunt; quovis saeculo varia fuit relatio inter utramque. Necesse est cognoscere fere innumera opera in quibus tum eloquentia sacra et profana elucet, tum utriusque ars tractatur. Huiusmodi labor exigit diuturnum studium et est maximae molis. Cum tamen et temporis spatium - aliquot menses anno Academico - nimis angustum videatur et res ipsa satis difficilis, quaestionis amplitudinem restringam eo modo, ut agam solummodo de influxu antiquae eloquentiae Graecorum Romanorumque in eloquentiam sacram. Ad comparationem dego eloquentiam antiquam tum quia praecepta, quae reliquerunt antiqui Graeciae et Romae rhetores perfectissima sunt et fere immutata ad nostra usque saecula permanent, tum quia eorum eloquentia semper et ab omnibus speciminis instar habetur. Et revera nostris temporibus, si quis perfectus orator fieri vult antiquos adire non praetermittit atque eorum scripta perscrutando plurimum proficit, idque verum sive agatur de oratore sacro sive de profano. Sed neque in hoc angustiori campo nihil intactum relinquam, nam et praecepta omnia antiquae rhetoricae perscrutare et omnes

viros ecclesiasticos ostendere, quomodo quis experientia antiquorum usus sit, nimis magnus erat labor. Agam igitur solummodo de gravissimis et si et in his inops videar, ingenue fateor, inopem me copia fecit.

## Opera quae in hac dissertatione allegantur.


Ackermann. Die Beredsamkeit des hl. Johannes Chrysostomus. Würzburg. 1881.

Aristotelis. De arte rhetorica libri 3. graece et latine cura Ch. Schraderii. 1672.

Caussinus N. De eloquentia sacra et humana libri 16. 1634. Coloniae.

Ciceronis M. T. Opera rhetorica.

Lutz Jos. Chrysostomus und die übrigen berühmtesten kirchlichen Redner alter und neuer Zeit. 1846. Tübingen.

Fialon E. Étude littéraire sur saint Basil. Paris 1861.

Galerani A. La guida del predicatore. Roma. 1894.

Gandar E. Bossuet orateur 1888. Paris.

Henry A. Éloquence ancienne. Paris

Henry A. Éloquence des saints Pères. Paris.

Hettinger Fr. Aphorismen über Predigt und Prediger. Freiburg 1888.

Hołowiński Arcyb. Ign. Homiletyka 1859. Kraków.

Egger M. Histoire de la littérature grèque. Paris.

Jungmann Jos. Theorie der geistlichen Beredtsamkeit. 1877. Freiburg.

Kirchenlexikon. art. Homiletik.

Morlais M. Histoire de la littérature latine 1892. Paris.

Pamiętnik religijno-moralny 1847.

Potocki St. O wymowie i stylu Warszawa 1815.

Quintilliani M. F. Libri XII. Institutionum Oratoriarum.

Schleiniger N. Das kirchliche Predigtamt. 1881 Freiburg

Weissenbach Jos. De eloquentia patrum 9 vol. 1775. Augustae Vindelicorum

Zanotto Mons. Fr. Storia della eloquenza s. al tempo dei ss. Padri.

Ks. J. Skidell – 1835 – Celniejsze prawidła homiletyki, czyli wymowy kazalnej.

Ks. A. Lipnicki. – 1860 – Zasady kaznodziejstwa czyli nauka opowiadania słowa Bożego.

Opera ss. Patrum. Migne tt. dxx, dc, ci, cvii, cxvi.

Opera Fenelon, Bossuet, alia.

# I.

In scientiis, artibus, opificiis, in rebus hominibus utilissimis saepe utimur beneficio ignotorum benefactorum. Disparuerunt inventores, opera tantum eorum permanserunt. Magis noti sunt nobis ii, qui has ~~perfec~~ inventiones ad perfectionem adduxerunt, populi qui eas nobis tradiderunt, et his non raro ipsa inventionis gloria adscribitur. Idem etiam dicere possumus de eloquentia, cuius initium nos a graecis ducimus, quam tamen antiquitate genus humanum non multum superat; ille enim qui primus vi verborum homines regebat eloquentiae auctor fuit. Memoria huius eventus in temporum antiquitate sepulta est, simul cum populo apud quem hoc accidit, et in vanum laboraret, qui illam memoriam reperire vellet.
Sed ut nobis eloquentiae initia repraesentemus, non est opus primordia mundi adire et in antiquitatis monumentis inquirere. Existebat profecto et tunc (in summa antiquitate) eloquentia, sed magis poësi similis, quam verae eloquentiae, cuius rei argumentum suppeditare nobis potest gentium barbararum nostri aevi eloquentia, certe ab illa humani generis in incunabulis adhuc degentis non absimilis.
Sed illis antiquis temporibus, cum homines raro commercium inter se habebant, cum vis physica iustitiae locum tenebat, primitiva illa eloquentia inutilis et raro in usu erat.
Uti ars dicendi igitur eloquentia vix inveniri potest ante liberae Graecae reipublicae

tempora. Vastissima Assyriorum et Aegyptiorum regna non multum favebant eloquentiae evolvendae, in illis enim absolutum regum dominium maxime evolutum erat.[1] Eloquentia autem exigit libertatem et independentiam. „Nec enim in constituentibus rempublicam, nec in bella gerentibus, nec in impeditis ac regum dominatione devinctis nasci cupiditas dicendi solet. Pacis est comes, otiique socia et iam bene constitutae civitatis quasi alumna quaedam, eloquentia", dicit Cicero.[2] – Has condiciones praebuit eloquentiae „primum" Graecia. Iam antiquissimis temporibus eloquentia honorabilem locum in vita graecorum obtinebat; sermo tamen heroum Homeri simplex et incultus multum distabat ab ^eloquentia^ oratorum saeculi V et praesertim IV. Hi enim in loquendo utebantur scientia historiae et philosophiae et componebant orationes suas iuxta praecepta artis perfectae. Athenis praesertim magnum progressum fecit eloquentia, cum occasio loquendi publicae propter evolutam democraticam regiminis formam frequentissima esset. „Apud graecos omnia a populo pendebant" ait Fénélon,[3] „populus autem dependebat ab oratore." Haec verba Atheniensibus accomodata sunt praesertim vera.

Athenis s. V et IV. ordo vitae publicae favorabilis fuit evolutioni eloquentiae in triplici genere: politico (συμβουλευτικὸν vel δημηγορικὸν γένος), iudiciali (δικανικὸν γένος) et demonstrativo vel panegyrico (ἐπιδεικτικὸν vel πανηγυρικὸν γένος). Regebantur Athenienses senatu vel consilio quingentorum (ἡ βουλή vel οἱ πεντακόσιοι) sed hic parum

---

[1] Cf. Henry. Éloquence ancienne

[2] Cicero. Brutus. 12.

[3] Fénélon. Lettre à l'Académie art. IV. Chez les Grecs tout dependait du peuple et le peuple dependait de la parole.

loquebantur; omnino tamen aliter res se habebant in conventu populi (ἡ ἐκκλησία), qui convocabatur quadragies per annum et in quo quilibet civis ius loquendi habebat publice.

Cum proprie dicti causarum defensores deessent Athenis, illis qui facultate bene loquendi non erant praediti subveniebant logographi (λογογράφοι), qui scribebant orationes, quas dein memoriae mandatas ipsi in iudicio agentes coram iudice recitabant.

Primus orator qui Athenis honorificum tunc nomen sophistae obtinuit fuit Solon (640–559). Pericles (494–424) qui in eloquentiae adiutorium studia philosophiae vocavit et Gorgias (485–378) qui Athenis rhetoricam sophisticam introduxit primum progressum in eloquentia faciunt. A Gorgia usque ad Demosthenem spatio unius fere saeculi continuo evolvebatur eloquentia. — Adhuc nonnihil rudis apud Antiphontem, perfectior iam est apud Andocidem. — Initio IV. saeculi Lysias, logographorum exemplar propter suum naturalem nitorem attici generis specimen dici potest; Isocrates (436–338) rhetoricae praeceptor delectabat Graeciam suo demonstrativo dicendi genere; Isaeus iuris peritus magister fuit Demosthenis.

Apud Demosthenem (384–322) summum Atheniensium oratorem eloquentia summum fastigium adepta est. Orationes eius politicae et in aliis generibus specimina perfectissima artis dicendi sunt. Demosthenem ita laudat Cicero in suo Bruto: Nihil acute inveniri potuit in iis causis, quas scripsit, nihil (ut ita dicam) subdole, nihil versute, quod ille non viderit: nihil subtiliter dici, nihil presse, nihil enucleate, quo fieri possit aliquid limatius; nihil contra grande, nihil incitatum, nihil ornatum vel verborum gravitate vel sententiarum, quo quidquam esset elatius. — Perfectissimum

Demosthenis opus est eius oratio pro corona in qua adversarium habuit Aeschynum, in eloquentia non multo sibi inferiorem celeberrimum summa vi imaginandi et felici usu bonaque dispositione amplificationum.

Post Demosthenis et Aeschini tempora quamquam non defecerunt clari oratores, ut Lycurgus, Hyperides, Dinarchus, Demades, alii, tamen generatim loquendo incipit collapsus eloquentiae grecae. Demetrius Phalereus (+283) iuxta sententiam Quinctilliani „ultimus fere ex Atticis, qui dici possit orator."

Praeter hanc proprie dictam eloquentiam floruit in Graecia eloquentia historicorum et philosophorum, quos inter celebriores sunt: historici Herodotes, Thucidydes, philosophi: Xenophon Plato, Aristoteles.

Praecepta autem eloquentiae seu ars rhetorica auctores habuit Syracusis in Sicilia Coracem et Tysiam huius discipulum, quorum uterque scripsit tractatum de eloquentia (τέχνη ῥητορική). Gorgias Leontinus Tysiae discipulus in rhetorica, uti notavimus, introduxit hanc artem Athenas, ubi etiam schola instituta illam docuit. Aristoteles, qui vixit eodem tempore ac Demosthenes ad perfectionem ordinem reduxit rhetoricam, quam postea imitati sunt alii. — Rhetorica Aristotelis tribus constat libris. Primo libro agitur de inventione, argumentatione, probatione; secundo praebetur analysis perfecta passionum et morum hominum ex variis statibus. Liber tertius continet theoriam generalem styli et non multa praecepta de partium dispositione in oratione.

Eloquentia uti ars non fuit nota Romanis quinque priorum saeculorum. Non possumus tamen dubitare, quin Romae fuerint homines naturaliter diserti, qui occasione data alloquerentur suos concives. Et revera occasiones non defecere. Horatius defendens filium, qui in laetitiae excessu propter triumphum propriam sororem occidit; Brutus tenens in manu gladium quo se transfodit Lucretia et exhortans Romanos ad exculendum iugum tyrannorum, alii, eloquentibus verbis profari debuerunt. Nulla tamen restant documenta huius eloquentiae. Cicero instituto sermone de illustribus viris antiquae Romae et iudicio lato de eorum eloquentia ex influxu quem exercuerunt, ita concludit: „Sed eos oratores habitos esse, aut omnino tum ullum eloquentiae praemium fuisse, nihil sane mihi legisse videtur, tantummodo coniectura ducor ad suspicandum" (Brutus. 14)

Primus inter Romanos, quem Cicero oratorem appellat est Cornelius Cethegus (saec. III), qui in politico dicendi genere floruit. Propter funebres laudationes mentionatur etiam a Cicerone Appius. Sed diu adhuc eloquentiae ars Romae neglecta fuit. Transitus multorum doctorum Graecorum in Italiam eorum patria expugnata inter Romanos artium culturam excitavit. Carneades cum legatione Romam veniens magnam excitavit admirationem suis orationibus et quamvis agente Catone discedere coactus sit, accensus semel eloquentiae amor amplius extingui non potuit. Institutae sunt Romae scholae rhetoricae. Primus latine Rhetoricam Plotius Gallus docuit, quem puer 14. annorum audiebat Cicero. Multi fuere hoc tempore clari oratores, ut Antonius, Crassus, Cotta, Sulpitius, Hortensius. Ortatus et brevi tempore eloquentia Romana suum fastigium in Cicerone adepta est. Cicero apud Romanos eundem locum obtinet ac Demosthenes

in Graecia et prout ibi, ita hic ab hoc summo oratore incipit tempus collapsae eloquentiae. Cicero etiam reliquit perfectissima praecepta artis rhetoricae. Opera eius de rhetorica tractantia gravissima sunt: rhetorica sive de inventione libri duo (an. 86) in iuventute scripta, de oratore libri tres (an. 55) quorum primus agit de oratoris scientia, secundus - de inventione et dispositione, tertius elocutione et actione; Brutus de claris oratoribus (an. 46.) historiam eloquentiae continens; Orator, in quo Cicero oratorem omnibus numeris absolutum depingit; minoris iam momenti sunt partitiones oratoriae, topica ad Trebatium, de optimo genere dicendi.

Tempore Ciceronis et postea in eloquentia claruerunt Licinius Calvus, Brutus, Cato Iunior, Caelius Rufus, Julius Caesar, alii. Posteriori tempore notatu adhuc digni Rhetores: Seneca, Quinctillianus, qui reliquit de Institutione oratoria libros duodecim. Hoc opere proponit Quinctillianus modum, quo a iuventute incipiendo artem oratoriam discere necesse est, singulasque rhetoricae partes fuse pertractat.

Delineata breviter eloquentia profana gressum faciam ad eloquentiam sacram. Eloquentia sacra apud antiquas gentes videtur defuisse. Sacerdotes enim earum non erant magistri doctrinae et virtutis, sed simpliciter sacrificatores, qui attendebant solummodo ad ritus cultus et qui loca sacra custodiebant. S. Augustinus[1] proposito modo, quo dii cumque

---

[1] Pertinebat ad consultores deos vitae bonae praecepta non occultare populis cultoribus suis, sed clara praedicatione praebere; per vates etiam convenire atque arguere peccantes; palam minari poenas male agentibus praemia recte vivantibus polliceri. Quid unquam tale in deorum illorum templis prompta et

sacerdotes deberent utiliter docere populum, „quid unquam, ait, tale in deorum illorum templis prompta et eminenti voce concrepuit?" Et postquam ostenderat non potuisse haberi pro vera instructione (proprie dicta) secreta quibus initiabantur cultores Cybeles, prosequitur „sed demonstrentur vel commemorentur loca talibus aliquando conventibus consecrata, non ubi ludi agerentur obscoenis vocibus et motibus histrionum, nec ubi Fugalia celebrarentur effusa omni licentia turpitudinum, sed ubi populi audirent quid dii praeciperent de cohibenda avaritia, ambitione frangenda, luxuria refraenanda.. Dicatur in quibus locis haec docentium deorum solebant praecepta recitari, et a cultoribus eorum populis frequenter audiri, sicut nos ostendimus ad hoc ecclesias institutas quaquaversum religio christiana diffunditur." l. II. c. VI.

Verum quidem est ethnicos posterioribus temporibus ad immitationem christianorum studuisse dare explicationes, philosophicas speculationes et sacrorum adhortationes, sed haec fuerunt omnino praepostera consilia ad restaurandam religionem agonisantem.

Neque apud iudaeos aderat veri nominis eloquentia sacra. Perscrutanti s. Scripturam clare apparet cultum hebraeorum restrictum fuisse ad sacrificia et preces rituales, quae omnia non semel cantu vel saltatione commutabantur. Praevalebat igitur apparatus externus, quo iudaeis idea veri Dei supernaturalis inculcabatur. Habuerunt tamen extraordinarium magisterium virorum a Deo

---

et eminenti voce concrepuit. De Civ. Dei. (II c. 4.)

missorum, iudicum et praesertim prophetarum, quorum eloquentia nihil sublimius esse potest.

Temporibus religionem christianam praecedentibus item nondum aderat veri nominis eloquentia sacra; invenire tamen possumus vestigia praedicationis ad corrigendam vitam et docendas obligationes hominis in synagogis fundatis post eversum regnum iudaicum. — De Jesu puero duodecim annorum legimus illum fuisse inventum in templo disputantem cum doctoribus. Unde patet in templo fuisse speciem instructionis religiosae, quae tamen restricta videtur fuisse ad simplicem explicationem s. Scripturae et ad quaestiones a fidelibus propositas et a doctoribus declaratas, quales fieri solent disputationes familiares. Aliud genus praedicationis, prophetico simile sed magis liberum et solemne turbas in deserta attrahens incipit cum Joanne Baptista Christi praecursore. — Hunc qui adventum Dni praedicabat, rectas facere semitas viae iubebat ad paenitentiam hortabatur secutum est verbum maioris auctoritate praeditum, verbum Jesu Christi. Salvator transcurrens Judaeae fines non tantum s. Scripturas novo modo explicabat indicando adimpletionem prophetiarum antiquarum et instaurationem regni Dei, sed eodem tempore vitium condemnabat, virtutem commendabat ad amorem Dei proximique hortabatur. — Christus fuit auctor et fundamentum eloquentiae s. christianae.

Vestigia Salvatoris secuti sunt eius discipuli. Ipsi annuntiabant praeter Christi doctrinam adhuc eius vitam mortem resurrectionem, secundum

adventum. Simplex sed et propria persuasione fluens oratio mire mire arripiebat corda auditorum. In hac tamen Apostolica praedicatione maximi fuit momenti specialis assistentia spiritus, qui imprimebat eorum sermonibus divinum characterem, elevando illos supra humanam eloquentiam eiusque formam. Sub primis Apostolorum successoribus adhuc vix quaedam vestigia eloquentiae sacrae uti artis deprehendere possumus.

Propagatio religionis Christianae, conversio multorum virorum clarum multum favebat progressui eloquentiae sacrae. Evolvebatur autem eloquentia in duplici genere cathechetico pro instruendis cathechumenis et apologetico ad defendendam religionem Christianam contra gentiles.

Seculo II et praesertim III. iam multi erant viri in eloquentia clari. Eodem tempore fundatae sunt scholae ut Alexandrinae, Antiochena, quae progressui eloquentiae sacrae multum contulerunt. Concessa libertate religionis christianae maiores adhuc progressus fecit eloquentia sacra et ab hoc tempore magis coeli coepit genus polemicum contra haereticos.

Jam ad maximam perfectionem adducta fuit eloquentia s. a s. Joanne Chrysostomo et s. Augustino, sed praecepta eloquentiae s. erant pauca et dispersa in variis operibus ss. Patrum.

S. Patres in sua eloquentia secuti sunt plurimum praecepta antiquae rhetoricae grecae et romanae. Ipsi autem praecepta non dabant. Ita ut in eorum operibus possumus inve-

nire exempla quomodo usu adhibenda sunt praecepta non autem ipsa praecepta. Innumera fere exempla usu accomodatorum praeceptorum rhetoricae collegit ex patribus Weissenbach in suo opere de eloquentia ss. Patrum.

Itaque prout in eloquentia profana ita et in eloquentia s. prius erant homines qui eloquenter dicerent, quam qui rhetoricae praecepta scriberent.

Movent quidam quaestionem de utilitate vel necessitate artis rhetoricae in eloquentia sacra. Multi inde ab antiquissimis temporibus damnabant omnino artem rhetoricam uti nocivam vel immoralem. Verum hoc quidem est sed in tantum solummodo in quantum false adhibeatur vel intellegatur ars rhetorica uti medium persuadendi vel ostendendi id esse bonum vel rectum quod revera falsum est. — Rectum autem artis rhetoricae usum in eloquentia s. admittere posse tum solidis argumentis tum proprio exemplo probant ss. Patres et post illos viri ecclesiastici. — Nonnulli rationes proponunt, cur usus praeceptorum bene dicendi utilis sit oratoris. Inter has rationes notatur defectus illius adiutorii divini vel potius minor frequentia, quod constituebant miracula, quae nisi ad persuadendam veritatem iuvabant.[1]

---

[1] S. Gregorius Naz. ad obiectionem, illum nonrecte agere adhibendo auxilium rhetoricae, respondet: „Quem (sc. modum dicendi primorum christianorum) ipse quoque mihi credite, complexus essem ut piscator, si sermonis ac doctrinae loco signorum et miraculorum vim haberem. (Opera s. Gregorii Nazianzeni Oratio XXVII.)

Secundo notandum est omnes beneficiendos fuisse doctrinae Christi. Multi autem docti exigebant ut veritates christianae illis proponerentur modo magis scientifico; praeterea pugnandum erat cum philosophis et rhetoribus Athenicis, contra quos certe adhibenda erant arma eorum armis similia. — Tum denique quod ars rhetorica et se non est mala, pulchre ostendit s. Augustinus De doctr. l. 2. c. 39. comparatione instituta cum illis vasis, quae permittente Deo iudaei aegyptiis abstulerunt ut ea in meliorem usum verterent. — Idem probat Zanotto,[1] cum dicit conveniens esse ut elementum humanum iungatur divino, sc. illi elemento, quod Salvator eloquentiae christianae sua doctrina suoque ~~exemplo~~ gratis contulit. Ita ille dicit de hoc divino elemento: Ma ciò non toglie che l'elemento divino non associ a se stesso tutto l'elemento umano, che dal l'ingegno e dall'arte nostra discende, a quel modo che il verbo Eterno per manifestarsi a noi assumeva tutta l'umana natura, quale Egli aveva creata."

Patres igitur non solummodo sunt locuti eloquenter, sed et praecepta eloquentiae sacrae, sive rhetoricam sacram commendaverunt.

Primus qui inter patres haec praecepta in aliquod systema redacta proposuit fuit s. Augustinus in libris de Doctrina, praesertim quarto libro.

---

1/ Zanotto. Storia di Eloquenza s. Introduzione.

Praecepta rhetorica s. Augustini in multis conveniunt cum praeceptis antiquorum rhetorum Aristotelis, Ciceronis, Quinctilliani. Pro fine habent haec praecepta indicare oratori sacro modum, quem ille sequendo utiliter annuntiare posit verbum divinum. Maxime notanda est eorum aptitudo ad monstrandam viam practici quod dicitur dicendi generis et popularis. Generatim praecepta s. Augustini respiciunt sive modum inveniendi sive modum eloquendi. De inventione agitur primis tribus libris „de doctrina Christiana" et ex parte nonnullis capp. l. 4. ut IV, aliis, et hoc quidem independenter a rhetorica prophana. Uti praecipuum fontem doctrinae s. Christianae proponit s. Doctor Scripturam s. regulasque ad eam intellegendam tradit. Libro quarto praeter alias quasdam quaestiones traduntur praecepta elocutionem respicientia. Hoc igitur in libro in multis secutus est s. Augustinus antiquos rhetores.

Si iam ad singula descendamus statim apparet s. Augustinum eodem modo probare utilitatem rhetoricae ut Aristoteles [1] et M. F. Quinctilianus [2]. Dicit enim artem rhetoricam, quae ex se nec bona nec mala, apte tamen adhibetur ad persuadendum bonum vel malum, iuste adhiberi iure ad finem bonum, se. ad veritatem probandam. Ita ille: Cumergo in medio sit facultas eloquii, quae

1/ Aristotelis. Rhetor. l. I. cap. 1.
2/ Quinctill. Inst. or. lib. II. c. 16.

ad persuadenda seu prava seu recta valeat plurimum, cur non bonorum studio comparatur, ut militet veritati, si eam mali ad obtinendas perversas vanasque causas in usus iniquitatis et erroris usurpant?" 1/

Quoad tempus discendi hanc artem praecipit s. Augustinus 2/ ut in iuventute discatur et quidem maxime legendo scripta oratorum, quod etiam similiter praecipit Cicero (de Orat.) et Quinctilianus 3/ — Ut autem quis eloquentiam utiliter adhibere possit requirit s. Augustinus cum Cicerone, ut illa cum sapientia iungatur. Sapientia et eloquentia oratoris s. addiscenda est ex s. Scriptura (cuius eloquentia hac occasione laudibus extollitur) et a viris ecclesiasticis, prout profani id faciunt legendo profanos auctores. 4/

Capite quarto ostendit s. Augustinus oratoris s. haud secus ac profani munus esse, ut doceat bona vel dedoceat mala, adversos conciliet, remissos erigat, nescientes erudiat, et pro rei ratione benevolos intentos, dociles seu invenit auditores, seu ipse faciat. In docendo quidem adhiberi vult narrationes, proferri documenta, et promi ratiocinia ad movendum vero maioribus dicendi viribus, obsecrationibus sc. et increpationibus, concitationibus et coërcitionibus, omnibusque aliis esse opus, quae ad animos fortiter afficiendos valent.

---

1/ De doctr. l. IV. c. 2.
2/ Ibid. c. 3 et ex parte 5. tum
3/ Quinct. Inst. Or. l. II. c. I segg.
4/ De doctr. c. 5. segg.

Dein capitibus 8-11. commendat s. Augustinus perspicuitatem, quam ante eum laudarunt antiqui 1/ eiusque necessitatem variis argumentis adductis probat. Ad perspicuitatem obtinendam suadet s. Doctor etiam verba cultiora neglegere aliquando, neque curare quod bene sonet, sed quid bene indicet atque intimet, quod ostendere intendit; uno verbo; qui docet, vitare debet omnia quae non docent (cf. De doctr. IV. ii.) In commendanda igitur perspicuitate multum respicit populare dicendi genus.

In docutione admittit, immo commendat s. Doctor usum modici ornatus (cf. c. 6.7.) et figurarum rhetoricarum. Hunc enim invenit sanctus in s. Scripturis, quod probat tum explicando figuram gradationis ex s. Scriptura desumptam, tum adducendo varia exempla ornati dicendi generis. Quo ad ornatum magis sequitur Aristotelem, quam Ciceronem, qui ampliores partes concedit ornatui in eloquentia quam graeci.

Secutus Ciceronem, ulterius cc. 12-14 s. Augustinus describit officium oratoris sacri docendi, delectandi, flectendi auditores 2/

---

1/ Aristot. Rhet. III. 2. „Hic autem elocutionis virtus esse statuatur, ut aperta sit atque dilucida. Quint. Inst. or. VIII. 2: Nobis prima sit virtus perspicuitas."

2/ Cicero de Orat. II. 27. Ratio omnis dicendi tribus ad persuadendum rebus est nixa: ut probemus vera esse, quae defendimus; ut conciliemus nobis eos, qui audiunt; ut animos eorum ad quemcumque causa postulabit

Bene autem tunc docet orator sacer, cum ea quae dicit ab auditoribus intelleguntur; delectat, si suaviter dicit et conciliat audientes sibi vel potius veritati propositae; flectitur autem audiens, si amet quod dicis, timet quod minaris, oderit, quod arguis, cetera. Necessitatem omnium horum effectuum in auditore ostendit s. Doctor, sed praecipue necessitatem movendi auditores, ad quod etiam priores eloquentiae effectus refert; nam et docendo movemus auditores, ut accipiant proposita uti vera, et delectando flectimus ad amandam veritatem. Veritatem autem et iustitiam tantum sectandam esse in eloquentia s. praecipit s. Augustinus cap. 14.

Ut autem orator s. possit sua eloquentia docere, delectare, flectere praecipit s. Augustinus cum Cicerone rectum usum triplici dicendi generis, submissi, temperati, grandis. c. 18. Ad haec enim tria, i. e. ut doceat ut delectet, ut flectat, etiam tria illa videtur pertinere voluisse idem ipse romani eloquii auctor, cum itidem dixit: „Is igitur erit eloquens qui poterit parva submisse, modica temperate, magna graviter dicere"[1], tamquam si adderit illa etiam tria: et sic explicaret unam eandemque sententiam dicens: Is erit igitur eloquens, qui ut doceat, poterit parva

---

motum vocemus. Cf. De Or. II. 77.; Orat. 21. Quinct. III. 5.

[1] Cicero. Orator c. 29.

submisse; ut delectet modica temperate; ut flectat magna granditer dicere. Descendens dein ad singula ostendit eppus Hipponensis, quando locum habere potest quodlibet dicendi genus; notat de eodem obiecto posse dicere pro vario fine sive submisse, sive moderate, sive granditer; tum usum dicendi generum exemplis ex s. Scripturae et viris ecclesiasticis desumptis probat luculenter.
In dicendo etiam iubet variare orationem, in quo pariter sequitur antiquos.[1] Quantum congrue fieri potest, omnibus generibus dictio varianda est. Nam quando prolixa est in uno genere, minus detinet auditorem. Quum vero fit in aliud ab alio transitus, etiamsi longius eat, decentius procedit oratio; quamvis habeant et singula genera varietates suas in sermone eloquentium, quibus non sinuntur in eorum qui audiunt frigescere vel tepescere sensibus. Verumtamen facilius submissum solum, quam solum grande diutius tolerari potest.... Interpositis vero quae sunt dicenda submissius bene reditur ad ea quae opus est granditer dici, ut dictionis impetus sicut maris aestus alternet. Ex quo fit, ut grande dicendi genus, si diutius est dicendum, non debeat esse solum, sed aliorum generum interpositione varietur.... Ut in potestate est eloquentis ut dicantur nonnulla submisse, etiam quae possent

---

1/ Cic. De inv. Rhet. I. 41. Variare autem orationem magnopere oportebit. Cent. etc.

granditer dici: ut ea quae dicuntur granditer ex illorum fiant comparatione grandiora, et eorum tamquam umbris luminosiora reddantur. Temperatum autem genus non quidem semper, sed tamen aliquando submisso indiget. S. Aug. De doctrina lib. 4. cc. 22. 23.

Denique praecepta s. Augustini sive necessitatem studii, sive necessitatem virtutis in dicente concernentia, eatenus tantum differunt a similibus praeceptis antiquorum, quatenus religio christiana differat ab ethnica. Propterea studium apud s. Augustinum conjungendum cum assidua oratione: „Priusquam [noster eloquens] exerat proferentem linguam, ad Deum levet animam sitientem, ut eructet, quod biberit, vel quod impleverit fundat. (De doct. 4. 15). Vita oratoris s. debet esse exemplaris, virtutibus eminentibus ornata: „nam qui sapienter et eloquenter dicit, vivit autem nequiter, erudit quidem multos discendi studiosos, quamvis animae suae sit inutilis." IV. 27.[1]

Spectatis igitur his omnibus, concludere debemus, s. Augustinum in multis quidem secutum fuisse rhetoricam prophanam, tamen id fecisse maxima cum prudentia et dedisse praecepta rhetoricae sacrae, quae non quandam servilem imitationem con-

---

1) Cf. Arist. rhet. I. 2. „Bonis enim viris magis et facilius credimus.... Nihil fere est ad faciendam fidem potentius atque efficacius quam mores (ἦθος) dicentis." Ibid. II. 1. „Tres igitur causae sunt, cur qui dicunt videantur digni, quibus habeatur fides... sunt autem hae prudentia, virtus (ἀρετή) benevolentia."

stituunt, sed quae nata sunt vel influxu solummodo antiquae rhetoricae.

Quaedam adhuc praecepta de arte bene dicendi invenimus in opusculo ejusdem s. Augustini, cui titulus de catechizandis rudibus: Sed haec praecepta respiciunt ex toto catecheticum dicendi genus, quod antiquis plane ignotum fuit, propterea neque similia his praecepta apud eos invenimus.

Post s. Augustinum diu nemo scripsit ampliorem rhetoricam sacram.*

* Cassiodorus (M. Aur. † 562) reliquit brevissimam rhetoricam, quae continet omnia gravissima praecepta antiquorum Ciceronis et Quinctiliani, quam ad usum monachorum scripsit. (De artibus ac disciplinis liberalium litterarum. Migne t. LXX. Cassiod. op.) Haec tamen rhetorica spectatur ab ipso auctore uti ars profana, utilis tamen viris ecclesiasticis. – Exstat opus collectum ex commentariis ejusdem Cassiodori in psalmos: „de schematibus et tropis necnon et quibusdam locis rhetoricis s. Scripturae", quae oratori s. ad imitandum commendantur, quaeque similia sunt profanis.

Similia habet Ven. Beda in suo „libro de schematibus et tropis s. Scripturae.

S. Gregorius M. in suo libro regulae pastoralis sive de cura pastorali quaedam usui apta monita ad munus praedicatoris rite obeundum proponit; haec tamen non tam orationis formam respiciunt, sed potius exhibent nobis in 36. specialibus consiliis motiva ex s. Scriptura desumpta, ope quorum oratio aditum ad corda humana in variis statibus invenire potest.

Seculo VII. s. Isidorus Hispalensis (+ 636.) in opere suo „Origines“ proposuit quaedam de rhetorica, sed presse sequitur s. Augustinum, prout etiam idem fecit Rhabanus Maurus, qui in opere „de institutione clericorum ad Archiepiscopum Heistulphum“ in multis etiam quoadverbum repetit praecepta s. Augustini in l. IV. de Doctrina contenta.

Sub finem seculi XII. magis independenter artem rhetoricae sacrae tractavit Guibertus a Novigento (+ 1214.) in suo parvo sed notatu digno opusculo: „Quo ordine sermo fieri debeat.“ Hic invenimus imprimis bene intellectum munus oratoris sacri illius temporis, ad quod adimplendum illa aetate, qua fides Deo adiuvante ubique firmas radices misit, concionator maiore cum vi moribus emendandis studere debeat. Sed et in hoc apparet eius clarum ingenium, quod iuxta illum concio de moribus suam vim in psychologia et cognitione cordis humani invenire debeat, et quod haec cognitio ante omnia per observationem proprii cordis acquirenda est.

Mentionem facere adhuc possumus ex eadem epocha Humberti de Romanis (+ 1277.), qui duobus libris „de eruditione praedicatorum“ proponit nobis rhetoricam sacram, quae magni est momenti hanc ob causam, quod ex ea eluceat, quam viam secutus est in eloquentia celeberrimus Praedicatorum Ordo. Prima pars continet in systematicum ordinem redactam magnam multitudinem signorum et praeceptorum, altera materiam collectam pro concionibus pro omni auditorum genere.[1]

---

1/ Alii auctores, qui de rhetorica s. simili fere modo tractarunt sunt: s. Bonaventura + 1274. de arte con-

Influxus igitur rhetoricae antiquae in rhetoricam sacram, ut patet ex dictis post tempora s. Augustini fere nullus fuit. Causae autem huius eventus variae sunt. Inprimis neglecta aliquatenus studia antiquorum utpote ethnicorum, quorum locum obtinuerunt classica fere opera ss. Patrum; dein neglecta studia generatim propter invasiones barbarorum, quae omnia in ruinam redegerunt, et eo ipso litterarum collapsum causarunt. Scientiae et litterae absconderunt se in monasteriorum cellulas, ibique quamvis non tam splendide ut antea, continuo tamen colebantur. Hic exspectabant solummodo felicem occasionem, quae iterum iis cathedras et splendorem restitueret. Occasio haec illuxit medio aevo, quo studia renasci coeperunt. Renascentibus igitur omnibus studiis etiam studium antiquorum oratorum refloruit. Rhetorica opera Aristotelis et Ciceronis tradebantur in universitatibus. Ab hoc igitur tempore iterum incipit rhetorica profana exercere influxum in rhetoricam sacram evolvendam. Iam in opere Jo. Reuchlini sub titulo „liber congestorum de arte praedicandi," edito an. 1503. multas invenimus cogitationes mutuatas a Cicerone et Quintiliano. Praesertim autem influxus antiquorum apparuit apud Erasmum Rotterdamum, qui dicit quamvis false se primum post s. Augustinum operam navavisse rhetoricae sacrae, quique propter suum influxum in posteriores revera auctor novae rhetoricae s. appellari potest. Eius „Ecclesiastes, seu de ratione concionandi," editus an. 1535, accomodat rhetoricam antiquam eloquentiae sacrae

---

[+] cionandi: Albertus M. De arte praedicandi (deperditus) S. Thomas Aq. De arte et vero modo praedicandi.

Opus hoc constat quattuor libris. Primo libro auctor ostendit magnam oratoris christiani dignitatem, atque virtutes quibus fulgere debet enumerat. Secundo studium praeceptorum rhetoricae commendat; suadet scrutari opera classicorum oratorum antiquitatis: Demosthenis, Ciceronis, item opera ss. Patrum; tum de partibus orationis agit. Libro tertio finem eloquentiae s. indicat discrimenque ab eloquentia profana ostendit; item vituperat immoderatum usum figurarum rhetoricarum; librum finit tractatione de concionibus dicendis. Quarto demum libro perpendit probationes, quas orator s. ex s. Scriptura ad captum et correctionem auditorum sumere debeat.
Eandem viam in accomodanda rhetorica profana eloquentiae sacrae secuti sunt et quidem non minus feliciter posteriores, quos inter eminent: Ludovicus Granatensis, qui scripsit ecclesiasticae rhetoricae sive de ratione concionandi libros sex; Didacus Stella, Carolus Borromaeus, Augustinus Valerio, Carolus Regius, alii.

A temporibus renatorum studiorum incipit accomodatio praeceptorum antiquae rhetoricae eloquentiae sacrae etiam in Polonia. Huic rei multum contulit Universitas Cracoviensis, ubi tradebatur Rhetorica et nota fuerunt opera hanc artem tractantia Ciceronis et Quinctilliani. Primus qui usu accomodare praecepta antiquorum orationi sacrae coepit asseclasque non paucos habuit, fuit s. Dr. Gregorius de Sanoca Archiepiscopus Leopolitanus, qui etiam ob suam eruditionem non vulgarem studiumque antiquitatis merito princeps humanistarum in Polonia dici potest. – Humanistarum igitur, qui tunc in Europa Occidentali iam praepotentes

sua scientia erant, methodus antiquorum Graeciae et Romae philosophorum et oratorum imitationem pro fundamento habens, opposita fuit antiquae scholasticae methodo, et quamquam et ipsa [defectibus] erroribus quibusdam non carebat iuncta tamen cum praedicta scholastica methodo aperuit viam, quae eloquentiam s. in Polonia ad summam perfectionem adduxit s. XVI. in P. Skarga, Grodzicki, Karnkowski, alii 1/. Usque ad finem seculi XVI. tamen non invenimus in Polonia opus, quod contineret praecepta perfectiore modo exposita eloquentiae sacrae. Anno tantum 1589. prodiit Cracoviae opus cum titulus „Partitiones ecclesiasticae Stanislai Sokołowski, quod oratori sacro commendat studium s. Scripturae et ss. Patrum et praeterea proponit praecepta eloquentiae, collecta ex scriptis antiquorum, praesertim Ciceronis. Illum secuti sunt alii. 2/. — Generatim in Polonia, cum hic lingua latina diu praedominaretur et cum eloquentia magni estimaretur, studium antiquiorum fere numquam negligebatur.

Prout in Polonia s. XVI. ita in Gallia s. XVII. eloquentia sacra summum fastigium adepta est. Floruerunt hic praeter alios Bossuet, Bourdaloue, Massillon, qui de palma cum antiquis oratoribus certare videbantur. Eorum eloquentia tum quoad formam, tum quoad argumentum perfectissima fuit. Tamen cum hac perfectione continebat in se iam semina corruptionis, quae revera statim post illos apparere cepit. Ut igitur collapsui eloquentiae s. occurreret, Fénélon in opere suo „dialogues sur l'éloquence" et postea

---

1/ Cf. Kołowiński: Homiletyka. Wiek XVI. ogólny pogląd
2/. Encyklopedyja kościelna. Art. Homiletyka.

in epistula ad Academiam, revocavit in memoriam praecepta rhetoricae antiquorum - Graecorum praesertim et Romanorum. Agit in hisce dialogis et in epistula, qualis esse debeat orator in genere et haec eloquentiae sacrae adplicat. Delectatur praesertim Platone, cuius auctoritas illi maxima est. Minoris aestimat rhetoricam Aristotelis, de qua ait: „cette rhetorique, quoique très belle a beaucoup de préceptes secs et plus curieux qu'utiles dans la pratique; ainsi elle sert bien plus à faire remarquer les regles de l'art à ceux qui sont déjà éloquents, qu'à inspirer l'éloquence et à former de vrais orateurs." [1]

In initio operis ostendit Fénélon defectus principaliores oratorum sui temporis, qui fuerunt carentia certi determinati finis in oratione, probationum, falsus textus s. scripturae usus, inutilis ornatus, et citationes historiarum profanarum, divisio communis in tria puncta, similia. Dein accedit ad describendam veram eloquentiam. Inprimis dixerit de fine eloquentiae, ostenditque illam esse artem benedicendi ad persuadendam veritatem et virtutem. Explicat finem illud oratorum „ut placeat" falsumque desiderium placendi reprobat [2] Sequitur in hac explicatione praecepta Platonis, usu adhibita a Demosthene; falsam esse viam Isocratis placendi tantum sine alio subliniore fine demonstrat. Probat tunc oratorem debere esse virum virtutibus ornatum, qualem illum volunt Plato et Cicero [3] et virtutem persua-

---

[1] Dialogues sur l'éloquence ... I.

[2] Quand on tâche de plaire on a un autre but plus éloigné qui est néanmoins le principal. L'homme de bien ne cherche à plaire, que pour inspirer la justice et les autres vertus en les rendant aimables.

[3] Selon Cicéron, la première et la plus essentielle des qualités d'un orateurs est la vertu.

dere esse finem.

Ulterius secutus eosdem antiquos ostendit Fénélon praeparationem ad eloquentiam consistere debere in cognitione vitae humanae tum in genere tum in particulari: „Il faut savoir ce que c'est que l'homme, sa fin, ses intérêts véritables; de quoi il est composé de corps et d'esprit; la véritable manière de le rendre heureux; quelles sont ces passions, les excès qu'elles peuvent avoir, la manière de les régler, comment on peut les exciter utilement pour lui faire aimer le bien; les règles qui sont propres à le faire vivre en paix et à entretenir la société.... Il faut connaître les lois et les coutumes de son pays, le rapport qu'elles ont avec le tempérament des peuples, les moeurs de chaque condition, les éducations différentes, les préjugés et les intérêts qui dominent dans le siècle où l'on vit, le moyen d'instruire et de redresser les esprits."

Veramq artem eloquentiae consistere in cognitione dicendorum, in cognitione passionum humanorum, modi illas ita movendi (excitandi) ut de dictis persuasum sit. In tantum igitur orator bene dicit, in quantum movet in auditoris: un discours n'est éloquent qu'autant qu'il agit dans l'âme de l'auditeur.

Orator ulterius non tantum veritatem probare debet, ut philosophus id agit, sed tenetur addere id quod in auditore affectus excitat et ad amandam probatam veritatem movet. Id autem ~~attingere~~ assequi potest, si bene rem describit (depingit), sc. ita illam repraesentat, ut auditor quasi propriis oculis videat, quod dicitur. Dein proponit Fénélon quaedam praecepta de actione similia praeceptis Ciceronis. Actio igitur correspondere debet sensibus dicentis et naturae rei de qua fit sermo.[1] Gestus sit naturalis

---

[1] Il faut que dans l'action du corps tout représente vivement et naturellement les sentiments de celui qui parle et à la nature des choses qu'il dit.... Il faut

non nimis frequens et uniformis. Vocem speciei artis musicae comparet, cuius pulchritudo consistit in varietate sonorum qui elevantur et remittuntur respectu habito rerum, quae proponi debent.[1] Accedat necesse est actio vultus et oculorum.[2] — Multis deinde verbis vituperat morem mandandi memoriae totum sermonem quoad verbum, suamque sententiam ex agendi ratione Demosthenis, Ciceronis, s. Augustini probare conatur.
Tum agit contra ineptas sermonum divisiones. Ex Cicerone et Demosthene probare studet aeternam divisionem non esse necessariam ad evitandam confusionem. Patres ecclesiae nesciebant divisiones. Primus s. Bernardus mentionem facit divisionem, sed ipse non dividit. Ad ordinem in sermonem inducendum antiqui omnes res perpendebant accurate et tantum cuique proprium locum in sermone designabant, ut probationibus producendis, affectibus movendis, similibus. Huiusmodi dispositio maximam libertatem variandi concedit.
Tractationi de eloquentia in genere finem impositurus, agit Fénélon de ornatu sermonis; praecipit usum moderatum ornatus, iubet vitari puerilem ornatum, figuras rhetoricas, praesertim autem figuram antitheseos eo tempore apud concionatores frequentissimam caute adhibere suadet. In tertio denum dialogo probat Fénélon praecepta, quae de eloquentia in genere exposuit, omnino convenire eloquentiae

---

que le corps de l'orateur ait des mouvements quand ses paroles en ont, et que son corps demeure tranquille, quand ses paroles n'ont rien que de doux et de simple.
[1] Haec varietas et hic per omnes sonos vocis cursus et se tuebitur et actioni afferet suavitatem. Cic. De Or. III. 61.
[2] Oculi sunt quorum tum intentione, tum remissione, tum hilaritate motus animorum significamus apte cum genere ipso orationis. Ibid. III. 59.

~~eloquentiae~~ sacrae, nam simplicitas apostolica, quae in eloquentia sacra requiritur non pugnat cum arte; ars enim eloquentiae consistit in mediis, quae consideratio et eloquentia invenit, ut reddat sermonem aptum ad veritatem persuadendam et excitandum huius amorem in cordibus hominum (ordo, methodus instructionis, solidae probationes, pars pathetica, x. quae corda movet).

Denuum agit Fénélon de eloquentia s. Scripturae et ss. Patrum. Quoad patres multa minus recte videtur pronuntiare.

Dialogues sur l'éloquence Fénélonii incordicuntur novissimam in historia rhetoricae sacrae epocham, quae ad nostra usque tempora durat, in qua rhetorica sacra in perfectam crevit scientiam et propter suam utilitatem et necessitatem multos habuit habetque cultores.

Relatio inter eloquentiam sacram et profanam non limitatur accomodatione tantum praeceptorum rhetoricorum antiquitatis rhetoricae sacrae. Viri ecclesiastici non raro imitati sunt ipsam eloquentiam oratorum Graeciae et Romae. Id debuisse accidere iam a priori ut ita dicam affirmare possumus. Nihil enim magis naturale imitatione. – Natura prima est quam homo imitatur. Sed ut quis naturam perfecte imitari possit non semper sufficiens habet ingenium. Quilibet autem potest imitari id quod ipsi proprius est, quod magis captui accomodatum, sc. id quod antea homo alius fecit. Imitatae sunt prius universae nationes alias cultiores. Roma non propria experientia ut ita dicam adepta est illam culturam, qua excellebat sed fere ex toto a Graecis accepit. Imitatio apparet in vita omnium gentium et saeculorum, in omnibus artibus et scientiis. Ab imitatione non erat libera et eloquentia. Graeciae oratores posteriores imitati sunt antiquiores. Demosthenes initium eloquentiae suae fecit septies propria manu transscribendo historiam Thucididis, ut eius genus scribendi melius cognosceret; Plato secutus est Homerum in cogitationibus (gnomis), modo loquendi, rythmo. – Romani oratores imitati sunt Graecos. Cicero multum mutuatus est apud Platonem, Isocratem, Demosthenem; praesertim hunc ultimum secutus est, cuius in dicendo vim sibi propriam efficere voluit, quamvis non semper omnino feliciter.

Ceterum veteres non perinde improbabant ac nos, si orator vel poeta vel sculptor in conficiendo opere imitaretur priores et maxime eum, qui consensu omnium princeps sui generis haberetur. Confirmant huius rei veritatem praecepta, quae

antiqui dederunt pro imitatione rite perficienda ut Quinctilianus (Inst. or. X. 2)

Nihil proinde mirum si etiam viri ecclesiastici hac communi agendi ratione ducti imitati sunt antiquos. Christiani oratores primorum saeculorum maxima ex parte imbuti erant scientiis profanis. Frequentabant enim easdem scholas rhetorum, in quibus post praevia studia geometriae grammaticae tradebantur scripta oratorum, quae explicabantur et ad imitandum proponebantur.

Ceterum literae graecae constituebant fundamentum studiorum in Oriente. Praeceptores etiam christiani docebant cognoscere antiquitatis ingenium. Principem locum his in scholis obtinebant scripta Homeri. Summa nonnisi cum veneratione loquebantur de his magistri suis discipulis. Christianis et ethnicis fuit Ilias et Odissea specimen venusti sermonis, regula morum, virtutum schola. Omnia ibi fuerunt pulchra, perfecta, sublimia. Ex Homero discebant pueri graecorum legere. Toto studiorum tempore explicabant eius poemata denique videbant rhetores adhibere eius versus uti textus. – Post Homerum veniebant Hesiodes et tragici, Herodotes et Thucidydes, Demosthenes et Socrates atque Lysias. – Cum tamen hi simul et defensores ethnicae religionis essent, non semel magister christianus reddito iusto honore eorum eloquentiae, invehebatur in eorum religionem falsam accusabatque dementiae, et hoc tantum differebat a magistro ethnico, qui omnia laudabat. Ita etiam saec. III et IV. non obstantibus quibusdam vanis delectationibus arte sophistica, studio antiquorum poetarum, lectione assidua Demosthenis, Platonis excolebantur viri qui hoc collapsae eloquentiae tempore eloquentia fulgebant.

– Antequam altaris servitio sese accingunt non unus sanctorum patrum erat ipse prius vel rhetoricae profanae praeceptor, vel causarum

in foro defensor ut s. Basilius, s. Joannes Chrysostomus, s. Cyprianus, s. Augustinus, Lactantius.

Eloquentia autem antiquorum culmen fere perfectionis attigerat tum quo ad formam qua utebantur, tum etiam quo ad res de quibus agebant. Jam vero quod perfectum est omnino meretur imitationem cuiusque „Omnis vitae ratio sic constat, ut quae probamus in aliis, facere ipsi velimus... Et hercle necesse est, aut similes aut dissimiles bonis simus. Similem raro natura praestat, frequenter imitatio, ait Quinctilianus". (Inst. X. 2.)

His rationibus ducti viri ecclesiastici et ipsi imitati sunt antiquos oratores et aliis imitationem commendarunt; semper tamen prae oculis habuerunt regulam id solummodo esse imitandum quod revera bonum est quodque religioni christianae convenit. Ita s. Basilius in homilia „ad adulescentes, quomodo possint ex Gentilium libris fructum capere", hortatur iuvenes: „ubi facta aut dicta virorum bonorum vobis narraverint (poetae philosophi alii) eos et diligere et imitari operae pretium est, et quam maxime nitendum ut tales efficiamur... Omnino igitur ad apum exemplum his libris vobis utendum est... Nos quoque si sapimus ubi quantum nobis congruit, ac veritati affine est, ex his scriptis collegerimus, reliquum praetermittamus.[1]

Exempla imitationis multa invenire possumus tum apud antiquiores oratores sacros tum apud posteriores. Ita Minucius Felix imitatus est in suo dialogo, qui „Octavius" inscribitur, quo ad formam et ex parte linguam Ciceronis opus de natura deorum. Lactantius in opere de opificio Dei sequitur Ciceronem et Senecam; iuxta testimonium s. Hieronymi eius opera

[1] Cf. S. Aug. De doctr. II. 39, IV.

sunt abbreviationes dialogorum Ciceronis. S. Ambrosius in opere „De officiis“ imitatus est simile opus Ciceronis, quamquam rem sub alio omnino respectu pertractat. S. Augustinus in opere de Civitate Dei – Ciceronis de monarchia.

Inquiramus iam saltem leviter, in quantum sc. angustia loci et vires nostrae permittunt, quomodo oratores sacri et quidem summi imitarentur eloquentiam antiquorum. De ss. Patribus sumamus s. Basilium et s. Joannem Chrysostomum qui facile omnes reliquos patres in eloquentia facile superant et Bossuet perfectissimum posteriorum saeculorum oratorem.

S. Basilius operam navabat rhetoricae Constantinopoli et Athenis, audiebatque celeberrimum rhetorem Libanium, a quo etiam propter suam eloquentiam magni aestimabatur. Tempore horum studiorum cognovit optime eloquentiam antiquorum summoque amore illam prosequebatur, quod patet tum ex testimonio eius studiorum socii Gregorii Nazianzeni, tum ex epistulis s. Basilii. Relicto saeculo, deposita eloquentia profana ad pedes Crucifixi et subiecta illa magno verbo divino, non videtur s. Basilius omnino deseruisse scripta antiquorum. Immo ex eius operibus patet s. Scripturam operaque Origenis obtinuisse tantum principem locum inter codices carminum Homeri scriptaque Hesiodis, Demosthenis, Platonis, Aristotelis, Plotini Plutarchi. Legere sufficit eius Homilias et priores epistolas, ut videamus quomodo ille versatus fuerit in lectione antiquorum poetarum graecorum. Non sufficit s. Basilio illos citare. Quam multas imagines, quam profundas cogitationes suppetunt ei musarum antiquarum fructus. Quando ille interrogat, quisnam is sit, qui his floribus coelum distindit (τίς ὁ τοῖς ἄνθεσι τούτοις ἀστέρων κατεστεμμένος) (Hom. V. in Hex. t. I. pag. 50) nonne ille cogitavit de

illis constellationibus, quibus Homerus caelum coronat! (Ἐν δὲ τὰ τείρεα πάντα τά τ' οὐρανὸς ἐστεφάνωται – Il. c. XVIII v. 485). Nonne verba Calchae de vindictae studio, quo ardet iratum cor regis, occasio fuerunt sequentis pulchrae amplificationis: Audite vos qui graviter irascimini, qui iniuriarum memoriam veluti virtutem colitis, cui vitii assimiles, cum animi in proximum aegritudinem ceu scintillam quandam in cinere occultatam tamdiu servatis, donec materia arrepta iram iterum velut flammam aliquam accendatis (op. t. I p. H)

Philosophos tamen multo frequentius quam poetas imitatur s. Basilius. Saepe tota imago, comparatio ex dialogo Platonis et tractatu Plutarchi translatae sunt in eius homiliam. – Ss. Basilius dicit de methaphysica de cosmologia de geographia, de historia naturali videtur semper ante legisse Platonem Plotinum, Aristotelem, Plutarchum. Ex eorum operibus desumit theoriam, exempla, totam explicationem. Aliquando reproducit fere iisdemque verbis, saepe tamen imitatio eius plena est originalitatis. – Si ille describit originem diversorum fluminum mundi ad verbum fere utitur descriptione Aristotelis. (Cf. Arist. Metereologia l. I cap. 13). Si probare vult, cur terra immobilis sit, recurrit ad tractatum eiusdem Aristotelis de caelo (De caelo II c. 13). Praeter huiusmodi literalem fere imitationem occurrunt praesertim in Hexaemerone poeticae amplificationes eorum quae apud Aristotelem vel Plutarchum breviter dicta sunt. Ita Aristoteles breviter et praecise dicit: „Ciconias genitorum senectutem invicem educare invulgatum est" (Aristot. D. XIII). Idem sed pulchre amplificando proponit Basilius: „Cura quam ciconiae senio confectis exhibent, liberos nostros si attendere vellent ad parentum amorem satis excitarent. Nemo enim homo

est, qui ita prorsus mente destituatur, ut pudore dignum non iudicet eum, qui avibus perquam brutis virtute superior foret. Illae genitorem, prae senio pennarum defluvio laborantem circumdantes suismet pennis calefaciunt, suppeditantque, ~~solita praestant~~ abunde alimentum: quin subsidium ei quod fieri potest in ipso volatu praestant, utrinque alis suis leniter sublevantes. Atque hoc ita apud omnes decantatum est, ut iam quidam beneficiorum remunerationem antipelargosin appellent."

Huiusmodi usus antiquorum iam non est simplex imitatio sed potius novus fere independens labor. Hoc modo reproducendo antiquos s. Basilius non amittit notas sibi soli proprias et fere semper multo superat eos, quos imitatur. Ad comparationem instituendam sumamus exempla imitationis Plutarchi. Ita Plutarchus dicit de cane: „Dialectici aiunt canem in triviis ea uti argumentatione, quae e pluribus disiunctis enuntiatis conficitur: sic enim secum colligere: Fera aut hac, aut hac, aut illa institit via; nec hac, nec hac; ergo ea quae superest." (Plutarchus de solertia animalium XIII)

Multo elegantius idem apud s. Basilium: „Canis expers rationis est: attamen sensum rationi haud imparem habet. Quae enim mundi sapientes per multum vitae otium desidentes, vix invenerunt, scil. ratiocinationum ambages, haec ab ipsa natura canis edoctus perhibetur. Cum enim ferae indagat vestigium, ubi ipsum multipliciter fissum repererit, diverticula quoquoversum ferentia rimatus, tantum non ratiocinationem vocem per ea quae agit emittit: fera inquit aut hac, aut illac divertit, aut in hanc partem. Atqui neque hac, neque illac: reliquum est ut ea istac digressa fuerit. Atque ita rescinis verum invenit. Quid amplius faciunt, qui in theorematibus demonstrandis

cum gravitate derident, quique literis pulveri insculptis ex tribus propositionibus duas reiicientes, in ea quae reliqua est verum inveniunt" (Hom. II. De terrestribus in Hexaëmeron).

Vel aliud exemplum, ubi etiam eleganter dicentem Plutarchum superat s. Basilius. Ita philosophus Cheronensis: „Cuiusnam animalis ortus et partus deos tanto honore afficit (quam halcyonis — ἄλκυον)? Latonae partum ferunt ab una insula, e fluctuanti motu ad firmum statum redacta, fuisse exceptum; halcyoni autem circa brumam parienti totum mare deus fluctuum et pluviarum vacuum praebet. Ut iam animal aliud sit nullum, quod homines ita merito ament: huic enim acceptum referre debent, quod media hyeme, septem diebus totidemque noctibus sine ullo periculo navigant, iterque marinum tunc terrestri tutius habent" (H. c. XXXV). — Basilius autem dicit: „Halcyon avis marina est. Haec depositis in ipsa arena ovis secundum ipsa litora felicitare solet: et circa mediam fere hyemem pullos excludit tum cum mare multis ac violentis ventis ad terram allidit. Attamen conspiuntur venti omnes, quiescunt aequoris fluctus per septem dies, quibus halcyon ovis incubat. Nam totidem diebus solum pullos excludit; cum autem et victu ipsis opus sit, alios septem dies ad pullorum incrementum Deus munificentissimus minimo huic animali praestitit. Quamobrem et omnes nautae hoc sciunt, diesque illos appellant halcyoneos (Hom. VIII in Hex. De volatilibus et aquaticis)."

Magnam Hexaemeronis partem transcribere deberem si vellem citare omnes locos, ubi s. Basilius imitatus est auctores antiquos, quibus usus est Atheniis in iuventute.

Huiusmodi imitationes constituunt aliquando totae homiliae. Ita homilia s. Basilii in illud „attende tibi ipsi (πρόσεχε σε αὐτόν), cuius iam

titulus revocat in memoriam illud antiquorum „γνῶθι σεαυτόν" praeter citationes s. Scripturae fere tota desumpta est ex operibus Platonis et tractatu Porphyrii de praecepto „cognosce teipsum". Vel homilia contra foeneratores in Ps. XIV, cuius obiectum, ideae, imagines, modus loquendi omnia denique, excepta forte imagine sola usurarii desumpta sunt ex tractatu Plutarchi „de vitando aere alieno". Evidenter apparet oratorem antequam cathedram conscenderet legisse librum philosophi Cheronensis et repetiisse dein, quae ei apta videbantur. Quae igitur est ratio huiusmodi imitationis?. Basilius educatus fuit in scriptis graecorum. Animi recreationem quaerebat in illis post labores difficiles. Si homiliam praeparabat, in memoriam illi veniebant imagines ex scriptis antiquorum. S. Doctor illas non repellebat; immo lectione eas saepius vocabat sibi in adiutorium. Sicut apes, quorum exemplum ille iuvenibus commendabat volitabat ille a flore uno antiquitatis ad alium et collegebat, quae ei necessaria et utilia videbantur. Quando ille ad populum dicebat reminiscentiae antiquorum una cum verbis s. Scripturae stabat ante eius mentem. Alienae cogitationes permiscebantur cum propriis, confundebantur cum his et propriae fiebant. Aliquando ille neque formam illorum mutabat; sed saepius ita transformabat, ut oriebantur verba, ideae, imagines pulcherrimae et maxime apte ad movendos auditores.

S. Joannes Chrysostomus ut notum est artem rhetoricam didicit prout et s. Basilius in schola Libanii. Praesertim diligenter legebat ille opera Homeri, Platonis, Demosthenis. Hos uti rhetoricae discipulus saepe ad imitandum proposito habuit, horumque studio assecutus est ipse maximam perfectionem. In operibus quidem

suis nunquam fere citat antiquos. Quoad formam suae eloquentiae in genere non sequitur antiquos servoliter, immo videtur ab illis omnino independens. Sed quod attinet scribendi modum eius repraesentandi artem adparet sum magna similitudo cum antiquis. Eadem est apud eum naturalitas, simplex sublimitas, magna perspicuitas, veritas admirabilis cum re repraesentata. Descriptiones eius sunt adeo vividae, ut auditor quasi ante oculos suos videat parasi ea, quae dicit orator sacer; descriptionibus his non raro videtur superare ipsum Homerum, cuius tamen imitatio in illis non raro adparet. Aliquando etiam totus sermo apud s. Chrysostomum videtur factus sub influxu antiquitatis. Ita in sermone de Machabaeis electio iunioris filii et praesertim matris ad describendum revocat in memoriam morem antiquorum poetarum in tragoediis. Notanda est denique maxima obiectivitas in dicendo. Chrysostomus non hortatur sed solummodo proponit auditoribus spectanda graphice descripta, quae voluntatem movere, in eam influere possunt; et in hoc sequitur agendi modum antiquorum, praesertim Homeri.

Idem influxus antiquorum adparet et apud Bossuet. Is[1] Divioni in collegio Jesuitarum Jordan initio quoad eloquentiam non habuit in manibus /iuxta regulas collegii huius temporis/ nisi optima opera classicorum antiquitatis, et quidem potius latinos quam graecos. Ceterum graecos hoc tempore nondum poterat legere in textu originali, nam linguam graecam didicit

---

[1] Cf. Lutz. Jordan - Bossuet etc.

multo serius. Delectabatur praesertim Cicerone, cuius orationes multas, item quosdam tractatus de rhetorica etiam memoriae mandavit. Studiis his solidissima iecit Bossuet fundamenta tum expolitioni linguae gallicae, tum suae eloquentiae. Ipse Bossuet fatetur se non multos auctores gallicos legisse neque ab illis linguam gallicam didicisse sed id assecutum fuisse potius studio classicorum scriptorum romanorum antiquitatis. Quod probant eius opera. In scriptis praesertim iunioris Bossuet multae occurrunt citationes antiquorum et imitatio est apparens tum quoad linguam tum quoad formam eloquentiae. In operibus maturiore aetate conscriptis est magis independens et fere nunquam citat antiquos. Possumus tamen invenire saltem quasdam allusiones et imitationes antiquorum. Ita Vergilius inspirat Bossuet ad depingendam teneritatem matris: „Vous verrez quelquefois une mère, qui caresse extraordinairement un enfant, sans en avoir d'autre raison, sinon que c'est à son avis, la vraie peinture du sien. C'est ainsi, dira-t-elle, qu'il pose ses mains, c'est ainsi, qu'il porte ses yeux, telle est son action et sa contenance." (II. sermon pour le vendredi de la semaine de la Passion). In his verbis, latinitatem, ut notat M. Lachat (Oeuvres t. II. p. 523), sapientibus, videtur Bossuet repetere verba Andromachae, qui in memoriam sibi revocat Astyanactem, amplexando Aeneae filium:

„Sic oculos, sic ille manus, sic ora ferebat."

Aen. II. 409.

Assuetus antiquorum scriptis citat aliquando illos, sed statim seipsum inter-

rumpit. Ita cum in secundo sermone „sur la compassion de la s. Vièrge" coepit citare verba ex Quinto Curtio „l'antiquité nous rapporte qu'une reine des Amazones souhaiter passionement d'avoir un fils de la race d'Alexandre", sed statim interrumpit seipsum dicendo: laissons ces histoires profanes et cherchons plutôt des exemples dans l'histoire sainte." — In eodem sermone refert ille exemplum ex Luciano de quodam Eudamidate, qui moriens in testamento designavit amicos suos uti protectores matris et liberorum, quia nulla bona illis moriens relinquere poterat; quocum comparat agendi rationem Jesu Christi qui matrem suam B. V. Mariam tradidit Joanni; sed adnotat ibi factum esse ex necessitate hic ex amore erga dilectum discipulum. — Item in orationibus funebribus occurrunt apud Bossuet perfecte imitati loci ex Caesare, Tito Livio, Suetonio. — In oratione panegirica de s. Bernardo ad describendos mores iuvenum et nobilium imitatur Aristotelem, qui in sua rhetorica similiter describit mores hominum in variis statibus constitutorum. Nonnulla fere ad verbum relata sunt a Bossuet. — Ex his concludere possumus Bossuet bene versatum fuisse in scriptis Aristotelis. — Una ex parte est omnino liber in sua imitatione et ad libitum vel pressius sequitur textum vel a longe stat; ex altera parte fideliter tradit mentem et tractandi methodum illius. Conservando philosophicam profunditatem Aristotelis ille rem clarissime proponit utiturque pulcherrimo et elegantissimo loquendi modo, quem antiquus philosophus plane ignorabat.

Spectatis his omnibus, quae de imitatione antiquorum apud viros ecclesiasticos diximus sequentia notare possumus de eorum agendi ratione in genere. Studium et imitatio antiquorum semper aderat; etiam celeberrimi christiani oratores illos imitati sunt. Sed quo maiore ingenio praeditus est orator eo maior est in eo libertas erga illa antiquitatis specimina. Imitatur quidem, assumit comparandi modum, descriptiones, similia, sed illa reddit propria; non tantum materiam adhibet aliam sed et ipsam formam sibi accomodat. Relatio haec ad antiquos libertate plena explicatur non tantum ingenio oratorum christianorum sed adhuc magna ex parte religiosa persuasione, qua illi excellunt, quaeque in infinitum superat religiosam persuasionem antiquorum.

Prout in omnibus operibus antiquitatis in genere et apud oratores in specie relique adparet praedominans idea patriae, cui omnia serviunt; praesertim apud Romanos idea Romae, quae eorum opera penetrat, firmitatem, characterem, dignitatem illis imprimit, ita apud perfectos oratores christianos eundem locum immo graviorem obtinet religio et christiana persuasio, quae illi est gravissimum centrum, a quo omnia radia eorum eloquentiae procedunt, a quo singulae cogitationes suae existentiae rationem, suam vitam suam firmitatem, suam magnitudinem obtinent et ad quod omnes et singulae cogitationes referuntur. Religiosa persuasio facta est oratoribus sacris altera natura, novus videndi modus, qui opponitur respectui videndi antiquorum et huic totum subordinatum, uti decet,

concedit. Hic est fructus imitationis antiquorum, quem quilibet iuste attingere studeat. Propterea nihil utilius tali imitatione antiquorum. Quodlibet dicendi genus habet optimos repraesentatores.
Qui libenter cum vi et sublimis dicit adeat Demosthenem, cuius indoles et loquendi modus mitis est imitat Isocratem; omnia inveniet orator apud Ciceronem. Assiduum studium horum aliorumque multorum remunerabitur fructu optimo.

## II.

„Euntes docete omnes gentes: baptisantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti: docentes eos servare omnia quaecunque mandavi vobis: et ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem saeculi (Mat. XXVIII. 19-20.)„ Non vos estis qui ~~me elegistis~~ estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis (Mat. X. 20.) Haec Salvatoris verba sunt causa et essentia totius differentiae, quae inter eloquentiam sacram et prophanam intercedit. Eloquentia enim sacra praedicationi verbi divini inservit; praedicatio autem haec fit sub assistentia Spiritus sancti, qui gratia sua tum ipsum dicentem adiuvat, tum auditorum corda ad doctrinam Christi suscipiendam praeparat. Propterea quamvis non pauca utrique eloquentiae sint communia, ut dialecticae praecepta, ordo perspicuitas, multaque prout vidimus praecepta rhetoricae prophanae accomodata sint eloquentiae sacrae, tamen multo plura sunt, quibus utraque differt. Illud elementum divinum, Spiritus sancti scilicet actio et character divinus dicendorum ita perfundit omnes eloquentiae sacrae partes, ut vix aliqua comparatio cum eloquentia prophana institui possit. Differentia autem haec inter utramque eloquentiam

adparet tum in iis quae respectu ipsius eloquentiae ut ita dicam externa, ut persona oratoris, & locus, tum in iis quae interna sunt, ut argumentum, finis, effectus, cetera.

Differt imprimis eloquentia sacra a profana, ubi orator sacer et profanus munere suo funguntur. Locus eloquentiae profanae proprius varius est. Apud Graecos in antiquitate oratores loquebantur quamvis non tam saepe in consiliis Quingentorum seu Senatu (οἱ Πεντακόσιοι aut ἡ Βουλή) saepissime autem in conventu populi (ἡ Ἐκκλησία), qui congregatur quadragies ad minimum in anno. In conventu tractabantur causae politicae et hic quilibet civis ius loquendi publice habebat. - Iudiciale genus eloquentiae florebat in areopago (ὁ Ἄρειόπαγος) et ephetis (Ἐφέται) ubi causae homicidii pertractabantur; adhuc magis in heliastis (Ἡλιασταί), ad quas deferebantur maior pars causarum capitalium, civilium et politicarum. - Denique tempore festivitatum et in aliis occasionibus loquebantur in conventibus, qui πανηγύρεις dicebantur, ubi florebat panegyricum dicendi genus.

In iisdem fere locis voce oratorum et apud Romanos resonabat, nimirum in foro, senatu. In iudiciis apud Romanos eloquentia non multum florebat. Aderant praeterea laudationes funebres.

Nostris temporibus non alia loca destinata sunt eloquentiae profanae prout olim. Et hodie sunt comitia publica, parlamenta, iudicia, cetera, ubi resonat voce oratorum. Negare non audeo summo opere veneranda esse quaedam eorum

tum propter virorum virorum clarissimorum coronam, qui oratorem audiunt, quique saepe patres patriae sunt tum propter causas, quae ibi pertractantur, ubi iustitia reddenda, salus patriae societatis, et similia; sed si oculos convertamus ad locum, ubi eloquentiam sacram audimus, multo excellentiora nobis occurrunt. Locus eloquentiae sacrae proprius fere exclusive est ecclesia – templum Deo dicatum, haec et sedes religionis, domus ipsius Dei. Inde ab illo coenaculo primo christianorum templo, ubi Christus prima vice seipsum incruento modo obtulit, ubi illos admirabiles sermones ad discipulos habuit, quos s. Joannes apostolus refert, ad nostra usque tempora locus cultus divini est locus eloquentiae sacrae. Weissenbach [1] comparans ecclesiam cum loco eloquentiae prophanae ita laudibus extollit ecclesiam: „Sat scio, nihil invenies, quod sanctum non sit peculiari ratione, rebusque maximis et gravissimis destinatum. Ipsi adeo parietes, saxa ipsa spirant sanctitatem. Et ibi quidem fidei nostrae mysteria, sanctorumque res gestae coloribus adumbratae, ibi lavacrum caeleste, hic tribunalia sacra: illa ex parte Reliquiae Martyrum: ex altera arae, et mensae divinissimo sacrificio praeparatae, ipsumque Domini Corpus adorandum."

Diversitas haec loci innuit et personam oratoris sacri debere differre ab oratore profano, diversamque esse eorum materiam dicendi; excellentia autem loci sacri exigit, ut conversatio tum dicentis tum auditorum correspondeat huic excellentiae. – Differt igitur orator sacer a profano missione et cha–

---

[1] Weissenbach. De eloquentia patrum.

ractere, a quibus etiam diversa agendi ratio dependet. Orator sacer missionem obtinet a suo charactere; est enim sacerdos persona ecclesiastica. In hoc numero est successor ipsius Christi eiusque apostolorum. Christus enim hisce in terris degens ipse praedicabat suam doctrinam, commendavitque illam praedicandam apostolis eorumque successoribus in perpetuum. Apostolis demortuis praedicabant episcopi et quidem primis tribus saeculi soli. Postea aucto fidelium numero facultas data est praedicandi etiam presbyteris. Diaconi ordinarie non praedicabant, sed persecutionum tempore illis martyres vel in carcere detentos visitantibus committebatur etiam munus exhortandi eos ad perseverantiam in fide. Quam pulchra debuit esse huiusmodi exhortatio.. Nullus tamen unquam loquebatur sine accepta missione. Est proinde orator sacer legatus et nuntius Dei. Legis et mandata divina ille promulgat, Dei voluntatem declarat, Illiusque gratiam et reconciliationem offert. Non proprio nomine ille loquitur sed divino. Inde eius auctoritas summa in loquendo; et qui illum sperneret, sperneret divinas Scripturas, quas ille annuntiat, sperneret ipsum Deum, qui illum mittit. Hanc auctoritatem oratoris sacri saepe in memoriam revocat s. Paulus; ita 2. Cor. V. 19. dicit: Posuit in nobis verbum reconciliationis. Pro Christo ergo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos. Obsecramus pro Christo: reconciliamini Deo." Atque haec est causa, cur Apo-relictis caeteris sacratissimis licet functio-

nibus huic uni se darent, munus praecandi numquam transferrent in alios, sed tanquam praecipuum et supremum omnium per se ipsos administrarent": Nos autem ministerio verbi instantes erimus" [Act. VI. 5.]

Orator autem profanus missionem suam obtinet ab ingenio, et loquitur proprio nomine propria auctoritate, vel etiam nomine alterius personae privatae. Scimus oratores saepe in antiquitate functos fuisse summis muneribus in republica, ut Demosthenem, Periclem, Ciceronem alios. Refert etiam historia Graeciae et Romae legationes etiam gravissimas fuisse aliquando demandatas oratoribus, ut illa legatio Carneadis, Diogenis Romam; sed hoc non tam saepe accidebat et nonne multum distat legatus regi regni terreni a legato ipsius Dei, Regis regum et Domini dominantium.!

Ex hac diversa auctoritate utriusque oratoris fluit tum diversa eorum agendi ratio, tum relatio ad illos auditorum. – Orator profanus loquitur quando potest, quando circumstantiae illum vocant. In loquendo non ipsam adulationem sed potius adulationis nomen fugit, evitare conatur omnes offensiunculas et propterea ubique placere adlaborat. Cupit omnium attentionem excitare, ab omnibus videri. Laudat extollit perseverantiam suam in quibusdam principiis, integritatem vitae suae; si seipsum indicat, id facit ut se insontem declaret; extollit se ut laudes capiat; thus triumphi adolet, ut seipsum illius fumo inebriet sine participatione cum aemulis; ex altitudine propriae

apotheoseos descendit, ut manum amicis porrigat, et eo ipso salutationes accipiat. Scit suam personam suamque propriam causam cum bono rei publicae proponere proprium periculum uti patriae periculum exhibens. Loquitur propter gloriam, triumphum, ut sedem in academia, locum in Pantheone, vocem in parlamento statuam in loco publico, totam vel saltem dimidiam paginae partem in historia obtineat.

Orator sacer loquitur quando vult. In loquendo autem gaude summa libertate. Cum ille invitatur auctoritate divina, curare non eget ut suae personae conciliet auditores, dummodo illos subiectos faciat veritati, quam annuntiat. Sequens monitum Apostoli [1] orator s. instat opportune importune, arguit obsecrat et neminem nisi Deum habet quem revereatur. In nomine Crucifixi ille surgit, inclinat se et genuflectit coram ipso; agnoscit suam humilitatem, infirmitatem inutilitatem, expectat solummodo severum iudicium de seipso, benignus est erga alios, commendat se et alios Illi, cuius Nomen annuntiat. Comparat se cum minimo suorum auditorum, immo reputat se uti pulverem in calceamento oratoris, uti festucam herbae campestris uti vilem vermem. Accusat se fragilitatis, palam confitetur suos defectus et illis dolet.

Differunt multum inter se auditores utriusque oratoris, ac varia est eorum relatio ad loquentem. Circa suggestum oratoris sacri videmus homines

---

1/ II. Thimot. IV. 2.

saepe pios, qui voluntatem divinam cognoscere volunt, ut ei obediant; sunt simplici corde et animo, modeste sese gerunt. Si adsunt auditores in fide fluctuantes vel etiam non credentes, dummodo non sint in malo obstinati et ipsi subeunt influxum eloquentiae sacrae. Quid igitur illos trahit et vincit? Num ipsa persona dicentis? Num sermo dulcis et flosculis ornatus? Num verba adulatoria et eorum vitam adprobantia? Minime gentium. Veritas quam illi quaerunt est illa vis, quae omnibus passionibus silentium praecipit, quae sola omnes factiones convincere valet. Veritatem et quidem nulla adulatione temperatam ex ore oratoris in loco sancto audire volunt, homines aliunde superbi, etiam reges![1] qui alibi nullum vituperium etiam levissimum sibi exprobrari patiuntur. — Veritate verborum victi in oratore sacro iam vident ut ita dicam non nudum hominem sed legatum divinum; doctrinam eius uti Dei ipsius verbum summa veneratione prosequuntur; obedientes sequuntur dicentem quocumque illos duxerit; illud amant, quod ille amare docet; odio prosequuntur, quod eorum odio exponit; credunt, quod ad credendum illis proponit; verbis eius plenam et firmam fidem dant. Illi tentationem malam repellunt a se dubium et mentis inquietudi-

---

[1] Ita Ludovicus XIV. Rex Galliae adulationibus corruptus neque umbram vituperii patiens libenter audiebat orationes Bossuet, Bourdaloue, Massillon, qui vitia regi [illegible]. De hac dispositione regis vel optime testantur ipsius verba, prolata ad Massillon post quendam sermonem: Mon père etc...

nem; totam suam mentem intendunt ut illum intellegant, et strenue sequuntur eius passus, sive ille descendit ad spatia, ubi umbra mortis regnat, sive ascendit ad fontem aeternae claritatis et splendoris infiniti. Altissimo silentio dominante praedicator prosequitur imperturbatus suam cogitationem, sicut magnificum flumen, quod undas suas gravi et maiestatico cursu dirigit; vox illius non raro debilis et repressa sonat sola in toto spatio navis ecclesiae ab altari ad vestibulum; tremor [1] apprehendit illos; scelerati genua flectunt, dolore corda inflammantur. Ita Bossuet, Fléchier, Bourdaloue, Massillon voce infirma regebant auditores, inter quos potentes huius mundi erant, qui magno numero convenientes in amplis templis eorum sermonem audiebant, auribus intentis, capite demisso, respirationem fere comprimentes, in cordis profunditate orantes.

Denique praedicator sacer leniter trahit omnes ad singulos et singulos ad omnes et non aliter vincit nisi uniendo et appropinquando eorum corda. Perterrit auditores et pacem illis restituit; reiicit a se et iterum attrahit; ex ordine omnes a timore ad spem, a nihilo ad vitam ducit; congregatis ac humiliatis illis nectit omnes uti

---

1/. Ita narratur, in sermone Massillon de exiguo numero electorum, motum etiam ad extra apparentem factum esse inter auditores et ipsos invitos divisos fuisse in duas partes ad verba, quibus Massillon ipsum Dominum Christum de caelo descendentem ad homines iudicandos finxit.

annulos mysteriosos in unam catenam auream, quae terram cum coelo iungit.
Amici sed simul et adversarii obfirmati et occulti circumdant tribunam oratoris profani: Demosthenes habet contra se Aeschynem eiusque factionem; Cicero inimicos suos-fautores Catilinae. Prout amici semper parati sunt oratori applausum dare, etiamsi in momento, illi accidit quaedam inconvenientia dicere. Adversarii omnium factionum perturbant eum in quantum possunt. - Habeat orator profanus summam eloquentiam, proferat gravissimas argumentationes, adhibeat omnes rhetoricas figuras nihil proderit, si auditor statuit nullis flecti persuasionibus, argumentis; adiuret per caelum revocet in memoriam bona, quae ex eius proposito provenire possunt pro posteritate, mentionetur felicitatis patriae civiumque, dicat sibi etiam cum Vergilio:
flectere si nequeo superos Acheronta movebo,
adiuret per memoriam antenatorum, invocet nomina heroum, qui in morte quietem habere non possent, si viderent corruptos posteros suos, indicet proelia, ubi illi sanguinem fuderunt pro causa quae non defenditur - in vanum si illi moveri nolunt; in vanum temperata, affectibus plena, pulcherrima oratio.
Si submisse dicat-audiet: quam molesta et taedium movens oratio; si granditer - cui bono talis affectatio! Si oratio eius revera perfecta sit, ita ut invincibiliter trahat et persuadeat, ad summum dicent, ut quidem de Jesuitis dicit: vellet Deus, ut vos ex nostra parte essetis, quia adeo boni viri estis.
Ut orator profanus regnare possit in

comitiis et posit superare strepitum in aula, non sufficit illi sola eloquentia, sed habeat ille necesse est adhuc firmam sonoram vocem qualem habebat Demosthenes, Cicero, Mirabeau, O'Connel, Berryer alii. Non pacem denique ille inter auditores componit, sed ad pugnam atrocem, ad proelium mortale ducit unam congregatorum partem contra alteram; et non aliter vincit, nisi dividendo, comprimendo suos adversarios: Divide et impera! est eius signum.

Sed haec difficultas, quam oratori profano creare possunt eius auditores non est illi sine magna utilitate. Exigit enim ab illo maiorem praeparationem. Non sufficit illi scire bene rem proponere, sed paratus esse debet, ad refutandas obiectiones, quas illi inexpectate, ex abrupto proponere possunt adversarii; quasque ille praevidere debet. Continua cura actionis suae, vocis aspectus, affectuum, probationum, amicorum et adversariorum multum acuit eius ingenium et eloquentiam.

Cognitis iam auditoribus et circumstantiis in quibus eloquentiam utramque audire possumus, personaque oratorum, audiamus ex ordine oportet, quid illi nobis dicent, quod est discrimen inter materiam eorum sermonum.

Plato in dialogo de toto explicans argumenta rhetorum sui temporis, ait, illa esse de bello et pace, de moenibus construendis, vel de portibus praeparandis muniendisque et summatim quidquid ista Civitas adversus aliam civitatem vel secum ipsa agit[1]. Quinctil.

---

[1] Weissenbach.

lianus[1] de materia rhetorum dicit: „ego (neque id sine auctoribus) materiam esse rhetorices iudico, omnes res, quaecunque ei ad dicendum subiectae erunt." Et revera oratores profani et nostris temporibus de variis rebus loquuntur. Agunt de bello et pace, de agricultura et mercatura, de amore patriae et prosperitate civium, de educatione et scientiarum cultura, etiam de moribus et religione. Sed quantum eorum materia dicendi, a materia oratoris sacri differt, quis est qui nesciat? Illi solliciti sunt de hac terrestri vita, de transeunti temporali felicitate hominis, hic ante oculos habet vitam futuram, vitam aeternam felicitatemque immutabilem. Materiam oratoris sacri deliniaturus, utar verbis Weinenbach, qui ita pulchre loquitur: „Quantus se campus oratoribus sacris aperit, quibus nonnisi e sacris litteris, ex Verbo divino, ex veritatibus quas ipse DEus prolocutus est, argumenta petuntur! Quibus de supremi DEi cultu, infinitis perfectionibus, operibus admirandis, ineffabilibus beneficiis, ac sacramentis, legibus de via deviconcussis, quae et promissa, et comminationes tonitas adiunctas habent, disceptandum est! quibus explicanda vitae huius incontentis et brevitas, horror et incertitudo mortis, inculcanda de tremendo illo examine, et fulminatrici sententia, de ruina collabentis mundi, de inferni ignibus numquam restringendis, de sorte, societate et gaudio electorum, verbo de rebus non terrenis, sed caelestibus, non humanis sed divinis, non caducis sed perpetuis, non de-

[1] Instit. orat. l. II. 21.

mum dubiis tantum aut verisimilibus, sed certis omnino atque indubitatis est collustrandum, eaedemque iam contra infideles et haereticos iam alios impios et conscelerratos homines propugnandae sunt ac vindicandae! Quid maius, quid grandius ad generis nostri commune bonum? Quod si de singulis quoque hominibus sermo est, nemo hic ad audiendum voluptatis ergo venit; cuiusque causa agitur, et capitali quidem. Non hic Deiotarus aliquis conciliandus Caesari; sed homo peccator Deo; non Milonis aut Ligarii exilium ab Urbe, sed illud cuiusque a caelesti patria praevertendum: non de corona ludicra pro Ctesiphonte, sed aliae regni immortalis quaestiones moventur; verbo agitur de re maxima omnium, de salute nostra, vel de morte sempiterna, quas inter nihil est medium, de negotio omnium negotiorum, pro quo solo cetera omnia suscipienda sunt, quod proprium nobis, immo unice nostrum est, quod praeterea innumeris maximisque implexum est difficultatibus, atque ita extremam omnino atque ineluctabilem habet necessitatem. Hoc cedat prospere, cetera licet pessumeant universa, felices et felices in aeternum: hoc cedat male, cetera licet omnia ad vota fluant miseri et miseri in aeternum sumus."

Oratori profano deficere potest materia in loquendo, non solus enim loquitur de illa, sed habet competitores, ephemerides exhauriunt illam. Et quid illi restat nisi repetere eadem aliis verbis! Materia oratoris sacri est inexhausta; post multas conciones potest adhuc

dicere aliquid novi. Sine competitoribus sine sociis accedit ille et discedit. Ipse eligit suum thema; miracula naturae inspicit et ostendit quomodo Deus in illis glorificatur vel ima cordis humani cuius motus stellis in caelo numerabiliores sunt, aut dirigit oculum ad mysteria, quae ita mentem humanam superant, ut superat pygmaeum in valle collocatum, pyramis in monte excelso.

Excellentia tamen et amplitudo materiae sua magnitudine non semel impidimentum est oratori sacro. Cum solus sine aemulis dicat, nullam negationem, oppositionem timeat, nullam ut ita dicam pugnam subire debeat, minus excitatur ad loquendum, viresque eius elanguescunt. — Verba illi deficere possunt, vox atque loquendi modus, ut digne respondeat obiecto. Solus Aquila Meldensis potuit libere volare in his altissimis regionibus et dirigere oculos ad Solem, qui lumine suo spatia splendere facit. Ceteri oculos ad terram dimittere coguntur, caput inclinare sub virtute huiusmodi splendentium radiorum.

Orator profanus, cum et materiam non tam sublimem habeat et impedimenta externa gravia, profectum magnum exinde percipere potest. In certamine exercetur hominis vis, in rebus adversis et contrarietatibus adparet eius magnitudo, inter impedimenta ille crescit uti flumen, cuius cursum rapidum retinere impedire volunt. „Vires me deficere possunt non autem animus", dixit quidam celebris orator. Hoc effatum dignum est homine, quem contradictiones firmiorem magis animatum perfectum oratorem effecerint.

Differt eloquentia sacra a profana fontibus ex quibus utriusque probationes desumuntur. Orator profanus summam auctoritatem attribuit rationi humanae primoque loco illam semper ponit, atque illâ omnia quae dicit probat.

Omnes argumentationes, quae ex locis, qui in rhetorica intrinseci dicuntur, desumuntur in tantum vim habent in quantum illis est rectus rationis usus. Recurrit dein orator profanus ad probationes, quae ex locis extrinsecis desumuntur, dicit se. quid dicunt nobis testimonia historiae, hominum, communis consuetudinis, legum exemplorum. Et haec sunt omnia quae ille profert, quae ita s. Augustinus describit: „ex Stoa, Peripato, vel Academia. ex annalibus item, duodecim tabulis, scitisque leguleiorum placitis omnia sua habent." Longe subliniores fontes habet Orator sacer. Fons primarius, gravissimus, auctoritasque summa est ei s. Scriptura - verbum divinum litteris consignatum, quam nobis homines a Deo inspirati scripsere, quam Apostoli nobis relinquentes quasi dixerunt: „Quod fuit ab initio, quod audivimus quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus et manus nostrae contrectaverunt" vobis testamento demandamus. — Dein sequuntur opera ss. patrum, qui primis aerae christianae seculis viventes, doctrina, sanctitate conspicui, testes erant doctrinae christianae melius intellexerunt sensum s. scripturae illam nobis explicarunt, qui conservarunt oralem traditionem, qui sua vita, saepe sua morte martyrum pro fide, hanc doctrinam confirmarunt. — Desumit ulterius Orator sacer argumenta ex scientia theologica. Non neglegit ille etiam fontes

profanis proprios. Utitur philosophia humana, ut profundissimas veritates apte congruenterque ad rationem exponat, ut "rationabile obsequium" (Rom. xii. 1.) appareat, sed in tantum in quantum illa explicat clare, sapienter applicat et confirmat dogmata christiana, veritates ecclesiae catholicae, fidei et sacramentorum necessitatem, sacerdotii auctoritatem, in quantum persuadere scit, quam infirma et incerta sit humana ratio sibi ipsi derelicta; in quantum ostendit rationi necessitatem sese humiliandi coram impenetrabilibus religionis mysteriis, necessitatem credendi, ut salus aeterna obtineatur. Utitur ille historia, legibus, scientiis humanis, sed uti adminiculis et in tantum in quantum haec ostendunt nihil esse in orbe hominum, quod contrarium sit religioni, immo omnia confirmare eius dogmata.

Alia pariter est via, quam ingreditur uterque orator, ut rem suam auditoribus persuadeat. Sane gravissima est res in eloquentia, ut auditores moveantur, ut rem quam illis orator proponit amplectantur. Quamvis hoc jam aliquatenus saltem obtineri possit, si orator id agat verbis ut veritas pateat et placeat, nam veritas clare et uti bona proposita et delectabilis, jam eo ipso trahit hominem ad se amplectendam, tamen finis hic saepissime tunc tantum obtinetur, si auditorum affectus excitentur.

Quoad affectus movendos, qui in eloquentia summi momenti sunt, sequentia in genere notare possumus. Affectus sunt per se indifferentes, et possunt adhiberi sive ad bonum sive ad malum persuadendum. Cum autem natura humana ad malum pronior sit, propterea et affectus efficacius adhibentur

ad malum quam ad bonum. Eiusdem in causis, ubi veritas a ratione humana uti ultima instantia pendet, quo ad affectus potius sequendum est monitum Boëtii (De consol. philos. l. I. Metr. 7):

Tu quoque si vis
lumine claro
Cernere verum,
Tramite recto
Carpere callem:
Gaudia pelle,
Pelle timorem,
Spemque fugato,
Nec dolor adsit.
Nubila mens est
Vinctaque frenis
Haec ubi regnant.

Quod etiam bene exprimit Sallustius: Omnes homines, patres conscripti, qui de rebus dubiis consultant, ab odio, ab amicitia, ira atque misericordia vacuos esse decet. Haud facile animus verum providet, ubi illa officiunt: neque quisquam omnium lubidini et usui paruit. (Sall. Cat. c. 51). Et revera Athenis in causis iudicialibus et politicis, ut dicit Quintillianus (Inst. or. 6. c. 1) "affectus movere etiam per praeconem prohibebatur orator"; cuius rei rationem reddens Aristoteles (c. 1. l. 1) ait: "Neque enim oportet iudicem distorquere ac depravare, praeoccupantes animam ipsius aut invidia, aut commiseratione. Nam id perinde est, ac si quis qua regula usurus est eam depravet". Eundem effectum in iudiciis producere affectus confirmat Quintillianus ingenue, sed ipse nihilominus non videtur prohibere eorum usum, immo commendare videtur (cf. Inst. or. 6 c. 2). Si hoc in theoria suadetur, quid exspectare possumus a praxi. Et revera oratores profani saepe movent affectus,

excitant passiones, quas praedicatori excitare non licet, ut odium vindictam. Passione excitatus ipse orator fit eloquentior, et si passioni plena libertas concedatur, effectus eius sunt gravissimi et fere indubii. Si nullae aliae argumentationes persuadeant, oratores ad passiones excitandas recurrunt uti ad ultimum refugium. Si Demosthenes tota arte eloquentiae suae Athenienses e somno excitare et contra Philippum non potest, incipit in Olynthiacis orationibus passiones excitare et inducit Philippum uti hominem indignissimum, sceleratissimum, nequissimum. Eodem medio utitur Cicero cum successu in orationibus contra Catillinam; Catonis orationum tota vis in passionibus excitandis consistit. Non possunt auditores indifferentes manere, si orator illis ostendat uti fecit Antonius sanguine conspersam tunicam Caesaris, vel mucronem Lucretiae cum Bruto. Huiusmodi oratio carere potest omni etiam arte, effectum tamen habebit. Sed notandum est, hic non amplius ad rationem quietam, non ad hominem quietum sermonem fieri, sed ad hominem ut ita dicam animalem.

In eloquentia s. ubi causae veritas non ratione humana definitive diiudicatur, sed est a Deo revelata, et ut talis ab Ecclesia docetur, effectus si excitantur, ad bonum solummodo inclinare possunt. Ceterum et hic affectus non obnubilant oculum rationis humanae, quae prius videre debet, veritatem propositam rationabiliter esse credendam, sed solum determinat ad id amplectendum, quod verum apparet. Illi affectus in eloquentia s. excitantur ab oratoribus sacris, quos Spiritus s. in cordibus

humanis operatione gratiae divinae produce re solet. Hi affectus ex parte sunt communes cum affectibus eloquentiae profanae et quidem sunt: amor, gratitudo, laetitia, misericordia tristitia, desiderium, confidentia, spes, fiducia, consolatio et pax in terra, animus, zelus, reverentia et veneratio, devotio, pietas, adlectio, oboedientia, humilitas, fides, timor, dolor, despectus. Praecipuos enumerat s. Augustinus. de Doctr. 4. Differunt tamen a profanis tum causa efficienti tum obiecto. Obiectum est bonum vel malum supernaturale, s. quod nobis ut tale fides ostendit et quamquam producuntur in corde humano et iuxta etiam leges humanas, tamen non solum cor illa producit sed etiam gratia divina. – Agitant igitur hi affectus non clamores provocando sed leniter in silentio, prout fuit apparitio ignis Dei Eliae „in sibilo aurae tenuis," quam describit s. Scriptura. (3. Reg. 19, 11.)

Adhibet utiliter orator profanus iocum, quo non semel gravem discussionem victoriose finit; sarcasmum qui efficit ut adversarius vincatur et eius obiectiones nullum effectum producant. Iocus uti persuadendi medium, optime fuit notus antiquis. Demosthenes tamen ut dicit Quinctilianus raro adhibebat iocum ad affectus movendos, contra Cicero modum nesciebat. Hic fuse etiam tractat de ioco (de orat. cc. 58-72), quid sit utrumque eius commendat. – In eloquentia s. iocus locum habere non potest. (Jungm. 503.)

Ut orator possit eloquenter dicere requiritur ex eius parte praeparatio. Exigit igitur utraque eloquentia non modicam praeparationem ex parte oratoris. Praeparatio haec multa habet communia pro oratore s. et profano, sed non parum etiam differt. Communis igitur est labor studium

et quoad laborem, proh dolor, confiteri debemus oratorem profanum non raro superare ecclesiasticum, quamquam revera contrarium esse deberet. Necessitatem laboris tum verbo, tum exemplo commendarunt summi oratores; Cicero, qui testatur de seipso in Bruto n. 301. se nunquam locutum fuisse sine praeparatione seria et meditatione, Quinctillianus, praesertim autem Demosthenes, qui quantum laboris insumpserit ad eloquentiam sibi comparandam et quomodo suas orationes praeparaverit, quis est qui nesciat. - Sed et perfecti oratores christiani non minorem laborem consecrabant praeparandis suis orationibus, eumque illum commendabant. Ss. Patres dies noctesque studebant s. litteris. Massillon scribebat semper integras suas conciones illasque quoad verbum memoriae mandabat. Praeter hanc tamen communem praeparationem oratorum ad eloquentiam videmus praeparationem oratoris sacri propriam, quae multum differt a profana, quaeque in studio orationis consistit. Ut quis revera eloquenter atque utiliter dicere possit orator sacer, memor sit illius elementi quod eius eloquentiam efficacem reddit, necesse est, sc. gratiae divinae. Nihil valebit perfectissime praeparata oratio, eloquentissime pronuntiata, si non accedit Deus cum sua vivifica gratia. „Ego plantavi, Apollo rigavit, sed Deus incrementum dedit" (I. Cor. III. 6). Enixis precibus implorabant christiani oratores hanc gratiam divinam. Implorabant illam sibi, ut Deus illis eloquentiam ad corda hominum attingentem concedat, pro auditoribus, ut haec gratia corda eorum praepararent ~~ad~~ sua virtute.

Aliud medium quo eloquentia efficax efficitur, quoque etiam non parum differt

orator profanus ab ecclesiastico est exemplum vitae. Negare nolo etiam oratores profanos magni existimasse hoc exemplum vitae. Multi eorum non tantum laudant exemplarem vitam sed etiam propriam vitam conformare volunt doctrinae quam praedicant. Cicero, Quintillianus eloquentiam et honestatem ita connexas volunt, ut dicere bene non possit, qui male viveret. Ideo cum Catone oratorem definiunt bonum virum dicendi peritum. Secus aiunt nec valet testimonium eius, nec sententia recipitur et grande praeiudicium causae est advocatus; quoniam ipse sit malus, nec causa esse sat bona possit. Demosthenes ubique studet colligere famam probitatis; nam et severos mores praefert, et hominum iudicium et potentiam spernit, verbaque ipsa et suspicione vanitatis carent, et iustitiam animique invictum robur ubique demonstrant. Sed et dona aversatus dicitur et corruptis omnibus magistratibus solus habuisse manus continentes. Si tamen hanc profanorum oratorum honestatem, hoc exemplar vitae cum iisdem perfecti oratoris christiani comparamus, multo sublimiora aspicimus. Apud oratorem profanum requiritur saepissime sola externa honestas, interna autem cum non videatur omnibus, neque illos offendit. Et ideo saepe restringitur solum ad id, quod docet orator, non autem ad totam vitam omnesque eius actiones. Addere possum illos intellexisse honestatem latissimo sensu, sc. illum reputasse honestum virum, qui malum non ageret. Contra ad exemplum populi orator perfectus christianus non communem aliquam probitatem et exigit et exhibet, sed undique integre atque omni vitio ita vacuum

esse, ut cupiditates, etiam ubi opus esset, edomitas haberet, atque obsequentes. Plus dico: et illud requirunt, utquoque longius abesset ab illicitis, a licitis quoque aliquibus temperandum sibi putaret. Ita enim non coram hominibus tantum, sed ipso Deo bonum compariturum, praesertim quod apud Christianos mala non agere nunquam sufficit, nisi et bona quaedam homini accesserint.

Differt dein eloquentia sacra a profana fine. De fine eloquentiae profanae ita loquitur Lactantius, qui ipse diu orator profanus fuit: "Eloquentia saeculo servit, populo se iactare et in rebus malis placere gestit. Siquidem veritatem saepe expugnare conatur, ut vim suam monstret; opes expetit, honores concupiscit, summum denique gradum dignitatis exposcit. Ergo haec quae religione nostra continentur despicit, arcana tamquam contraria sibi fugit, quippe quae publico gaudet et multitudinem celebritatemque desiderat." Quamquam in his verbis quaedam sunt, quae eloquentiae profanae, qualem optimi et quidem pauci oratores intellexerunt, non omnino quadrant, tamen si sermo est de communi agendi ratione plurimorum oratorum, nihil in iis inveniemus, quod a veritate aberraret. Finis igitur eloquentiae profanae est temporalis: eloquentia saeculo servit. Illius proin est agere de bono rei publicae, defendere vitam et fortunam privatorum hominum, laudare gloriosa facinora virorum clarorum beneque meritorum, excitare homines ad bene ordinateque vivendum. Hic tamen finis, sublimis sine dubio, cingitur fere

semper cum alio, qui non tam est finis ipsius eloquentiae quam potius oratoris, qui illa utitur. Orator qui habet etiam primum illum finem ultimum numquam obliviscitur sui et pro proposito habet, ut sibi famam et honores vel pecuniam acquirat. Ita in antiquitate apud graecos eloquentia erat via ad munera in republica assequenda, magnoque oratores habebantur in honore. Demosthenes Pericles ope eloquentiae ad summas dignitates pervenerunt. Apud Romanos eloquentia medium fuit certissimum ad obtinendas summas dignitates in republica.

Propositum pecuniae acquirendae ope eloquentiae apud oratores profanos est res ordinaria et uti honestissimum medium aestimatur; non minus laudabile institutum, quam eorum sit, qui quod lingua prompti non essent, manu et armis victum sibi acquirebant. Quinctilianus (Inst. or. XII. 7.) quamquam melius esse dicit, non vendere operam „cum pleraque hoc ipso possint videri vilia, quod pretium habent,“ tamen causas excusantes facile invenit. Ita ille: „at si res familiaris amplius aliquid ad usus necessarios exiget, secundum omnes sapientium leges patietur sibi gratiam referri: cum et Socrati collatum sit ad victum, et Zeno Cleanthes, Chrysippus mercedes a discipulis acceptaverint. Neque enim video, quae iustior acquirendi ratio, quam ex honestissimo labore et abis de quibus optime meruerint, quique si nihil invicem praestent, indigni fuerint defensione. Quod quidem non iustum modo sed necessarium etiam est,

cum haec ipsa opera, tempusque omne, alienis negotiis datum, facultatem aliter acquirendi recidant. — Quod antiqui fecerunt et laudaverunt, idem etiam de posterioribus omnibus oratoribus profanis dicere possumus. Quid enim amplius nostri oratores appetunt nisi auctoritatem acquirendam, vel pecuniam corradendam. Fénélon in suis dialogis damnat quorundam sententiam eorum qui eloquentiam profanam posse inservire ad acquirendam pecuniam dicunt, nullasque rationes excusantes admittit; sed sententia eius accomodatur solummodo eloquentiae sacrae.

Orator sacer non ad rerum temporalium procurationem, non ad honores terrenos, sed unice ad demandatum sibi munus in salutem fratrum et augendam hoc modo gloriam divinam intenti sunt. Quomodo oratores sacri in loquendo sese habebant ad honores, applausus, divitias demonstrant nobis exempla perfectorum oratorum omnium saeculorum. S. Joannes Chrysostomus, qui animae humanae pretium maius ac toto mundo saepe confitetur, nihil quaerebat nisi animarum salutem. Audiens populi applausus, qui delectare solent oratorem profanum ipse flet et adiurat per omnia, ne auditores applausus dent, sed quae illi placent, ad vitae suae reformationem accomodent. Item s. Augustinus in simili casu eosque dicebat, quomque non applausus, sed fletus audiebat. P. Skarga tum in praefatione sua ad Conciones dominicales, tum aliis in locis pulchre proponit suae eloquentiae finem, qui est salus animarum et gloria Dei et nihil amplius.

Ad obiectionem quorundam illum multum obtinuisse, si bonum societati Jesu cum regi conciliator esset, sincere confitetur: „Dowieść na mię nie mogą, abym cokolwiek uprosił; bo się za tak u Króla J. M. Pana mego dobrotliwego y udatnego nie mam, ani m jest, ani być chcę. Jeden jednak na się grzech powiem: swojego Króla J. M. który mię kilkanaście lat zna, y ze mną się u dworu ostaneł, a nigdy mię nie przezwiedł, uprosiłem wielką wakancyą w Żupach groszy dwadzieścia na tydzień, aby w starości głodem nie umarł. Jeślim tym zgrzeszył, proszę o odpuszczenie" (Odpowiedź na artykuł o Jezuitach, czytany w Wiślicy 13. Września 1606.) — Massillon in sua oratione „sur la parole de Dieu" praeclare indicat finem omnium orationum: „Mes frères! nous soutenons pour vous tout le poids d'un ministère pénible; nos soins, nos veilles, nos prières, les travaux infinis, qui nous conduisent à ces chaires chrétiennes n'ont point d'autre objet que votre salut. Eh! ne méritons nous pas du moins, que vous respectiez nos peines? Le zèle qui souffre tout pour vous assurer le salut peut-il devenir le triste sujet de vos censures"...

Salus igitur hominum et gloria Dei est finis eloquentiae sacrae primarius. Sed si orator s. propter causas a se independentes hunc finem obtinere non potest si ad eius verba nullus convertitur, nondum caret effectu eius oratio. Effectus hic est merces, quam reddet ei Deus pro munere bene adimpleto, quoque est finis secundarius oratoris sacri. Hunc finem et mercedem prae oculis habens holens s. Bernardin pulchre

o

exhortatur Eugenium papam IV. (l. IV. de consid.): "Fac tu quod tuum est; nam Deus quod suum est curabit. Planta, riga; et tuas explevisti partes. Sane incrementum ubi voluerit, dabit Deus; ubi forte noluerit, tibi deperit nihil. Medici est medicamenta adhibere; non est in manu medici semper relevetur ut aeger In plaga; tibi incumbit, cura eam. Curam exigeris non curationem."

Orator profanus si id quod sibi proponit persuadere non potest, oratio eius caret omni fructu; illi tunc affliguntur se desperant et in coepto desistunt, vocem causantes in cassum contritam et laborem inIquissime collectum. Haec est excellentia quam eloquentia sacra prae eloquentia profana habet, habito respectu finis utriusque.

Cum fine eloquentiae strictissime iunguntur eius effectus. Si qua in parte sane in effectibus superat eloquentia sacra profanam in infinitum. Qui enim sunt eloquentiae profanae effectus? Si sumamus florentissima tempora eloquentiae profanae in antiquitate, tempora Demosthenis in Graecia, vel Ciceronis Romae, nihil ibi inveniemus, quod cum effectibus eloquentiae sacrae etiam collapsae comparari possit. Bellum aliquod decisum, iustitia alicui restituta, en omnia, quae effecit eloquentia profana. Quid enim plus effecit Demosthenes contra tutores, contra Philippum, pro Corona contra Aeschynum, vel Cicero contra Verrem, Antonium, Catilinam, Clodium, pro Milone lege Manilia, domo sua. Num mundus melior effectus, num homines feliciores facti, num deorum gloria aucta. Neque maiores effectus habuit eloquentia profana et posterioribus tempo-

ribus. — Dicet quis, eloquentia Pitt factum esse ut servorum conditio amelioraretur, ut servitus tolleretur, sed quam parum hoc comparatum cum liberatione multorum populorum a daemonum servitute; et hoc ipsum factum est non sine succursu eloquentiae sacrae.

Sane fructus eloquentiae sacrae sunt plane mirabiles. Nihil dicam de effectibus eloquentiae Christi, qui et ipsius eloquentiae auctor et eius effectuum omnium dator est. Ad orationes s. Petri statim millia convertuntur, veritati-Christo locantur. Ad verba s. Pauli aliorumque Apostolorum constituitur iam tota ecclesia, cuius fides in universo mundo annuntiatur. Ad praedicationem ss. Patrum convertuntur regna, Christi dominium ubique propagatur ad ultimos fines terrae. Eloquentia oratorum christianorum fovetur vita christiana in toto mundo. Uno verbo effectus eloquentiae sacrae — est mutatio faciei universi mundi.

Sed et effectus singulorum oratorum ss. sunt fere infiniti. Sufficit revocare in memoriam fructus concionum in missionibus p. Segneri in Italia vel Caroli Antoniewicz in Galicia ut summa nonnisi veneratione prosequamur eloquentiam sacram. Nullus philosophus sua doctrina, nullus rex omni sua potentia, suis legibus disciplinaribus correxit tot homines quot correxit Deo benificit unus s. Bernardus, s. Augustinus, Segneri, alii suis sermonibus. Cum omni iustitia quilibet verus orator christianus repetere potest de sua praedicatione verba s. Pauli [II. Cor. XII. 12]: „Signa apostolatus mei facta sunt super vos in omni patientia, in signis in prodigiis, in virtutibus."

# Conclusio.

Differentia, quae inter eloquentiam sacram et profanam intercedit necessario ante oculos habenda est oratori s. si ille suum munus recte et utiliter adimplere vult. Si ad hanc differentiam non attendit sequiturque agendi rationem profanorum, videtur orator sacer oblivisci se esse servum Dei, vocatum ad annuntiandum populo voluntatem Sapientiae incarnatae, et docenda officia hominis christiani, videtur oblivisci se esse ducem qui virtutis pulchritudinem ~~detegit~~ ostendat, detegatque turpitudinem peccati, se esse medicum, qui salutarem medicinam ad curanda vulnera vitiis illata prebet, se esse hominem qui nomine Altissimi vanitatem huius vitae exprobat et aperiat abyssum aeternitatis, ubi iustitia divina in puniendo infallibilis et consolando regnum gloriae et felicitatis pro bonis, regnumque doloris et desperationis pro malis condidit. Non satis clare intellecta differentia eloquentiae sacrae a profana causa est, cur dignitas eloquentiae sacrae diminuatur incaute. - Orator sacer obliviscitur se debere praedicare non verbum ~~non verbum~~ humanum, sed divinum; illud verbum, quod primo per os prophetarum regebat populum Israel per longam saeculorum seriem, - verbum, quod resonuit per orbem terrarum per apostolos superavitque sapientiam mundi

verbum quod populos servituti crucis subiecit, in cordibus humanis templum virtutis fundavit. Oblitus huius differentiae orator sacer minoris facit ratiocinia, quae ei suppeditant necessitas colendi Deum, salvandi animas, quam argumenta a sola ratione proposita. Diminuitur hac oblivione auctoritas s. Scripturae, quae in eloquentia s. fundamentalis fons est veritatum quas proponere debet; diminuitur auctoritas traditionis et ecclesiae ipsius. Verbo labefactatur ipsa religio christiana et manus adiutrices porriguntur rationalismo illique via aperta sternitur.

Evitabit autem orator sacer haec omnia vitia, si secutus exempla ss. patrum aliorumque perfectissimorum oratorum christianorum sedulo attendet in usu cotidiano ad notas, quibus eloquentia sacra differt ab eloquentia profana.

Vidimus primum eloquentiam s. differre ab eloquentia profana loco. Habito igitur respectu loci sc. ecclesiae orator ecclesiasticus observare debet, quae cuilibet in mentem observanda veniunt, si ille se collocet in domo summi regis ut ipso rege praesente loquatur. Eius proin ingressus, tota sese gerendi ratio nihil nisi grave praeseferat. Ante sermonem et post illum non insumat tempus confabulationibus sed tota sua persona ostendat se sentire praesentiam in hoc loco Dei ipsius, in cuius aspectu angeli faciem elevare non audent sed alis suis se contegunt. Summa cum devotione genuflectat coram Sanctissimo in altari recondito, caput devote cruci inclinet, ut quilibet auditor videat hunc oratorem esse verum Dei servum et loqui solummodo ad comparandam gloriam Deo, cui illi servire regnare est.

Haec agendi ratio propria fuit omnibus oratoribus sacris; quae ab hac differebat valde ab eis vituperabatur[1]. Si tamen haec oratores s. observare nollent „eant antequam cathedram ascendant pias imagines tollant, exstinguant sacros ignes, submoveant altaria, cathedram in scenulam aliquam convertant et tunc denique gerras suas putidasque merces exponant[2].
Stricte cum honore quem orator sacer loco orationis suae reddere debet iungitur obligatio servandi honorem proprium utpote personae sacrae. Cum ille Dei legatus sit, procedat uti talis, necesse est. Vita eius imprimis sit conformis vitae hominis revera Deo servientis. Liber sit non solum a vitiis, sed et ab imperfectionibus; et haec nondum sufficiant, nam et virtutibus omnis generis illi pollere opportet. Antequam ad dicendum procedat, comparet sibi saltem statum gratiae, ne cum munere legati Dei fungatur sit ipse inimicus Dei.
Relatio oratoris sacri ad auditores conformis sit eius characteri sacro, se. sacerdotii et legati divini. Liber igitur esse debet ab omni specie adulationis; nam qui adulatur et gratiam auditorum captat, non Dei minister est sed lupus rapax[3]; ludificat ille ipsum Deum

---

1/ Cf. s. Greg. Naz. Oratio 27 n. 2, Or. 21, nn. 11, 12.
2/ Weissenbach. l. c.
3/ S. Joannes Chrysostomus adulatorem peiorem esse homicida, nam „ homicida ( ait ille in sermone „ Non esse ad gratiam concionandum) corpus tantum interficit; qui vero ad gratiam concionatur et segniores reddit auditores, animam perdit; atque ille quidem praesenti morti tradit, hic vero perdit animam et ad aeternas poenas suppliciaque transmittit.

quia auctoritatem ab eo sibi datam contra ipsum adhibet. Sequenda sunt potius oratori sacro exempla s. Joannis Chrysostomi et s. Athanasii, qui etiam multa perpessi sunt propter veritatis amorem, s. Ambrosii, Bourdaloue, Skargae, aliorum, qui se nunquam adulatione contaminarunt. Ex altera tamen parte curare debet orator sacer, ne oratio eius ita varietate, vita, omni affectu destituta sit, ut solummodo taedium vel somnium in auditore excitet. Vitium hoc eo facilius occurrit apud oratores sacros, quod illis non est opus timere obiectiones vel etiam irrisionem auditorum, nam hi in ecclesia ad silentium obligantur. Non committet autem hoc vitium si revera habebit ardens desiderium procurandi auditorum salutem, lucrandi Deo animas, et propterea si amore Dei proximique eius cor ardebit: „qui non ardet non accendet et qui ignem non nutrit ligna quotidie subministrando non ardebit."

Amore divino ductus orator sacer nunquam dicet in cathedra de rebus profanis, ad doctrinam sacram non pertinentibus, neque modo oratoribus profanis proprio. Materia igitur eius eloquentiae erunt veritates religionis christianae, quales ex ore divini magistri prodierunt, virtutes quas ille docuit, vitia quae ille damnabat, non autem verba cuiusdam amoris fructu bonorum operum carentis, bonum temporale societatis, causae philantropicae, progressus, quae tam saepe repeti solent hoc nostro tempore a profanis. Probabit autem rem suam orator sacer auctoritate evangelii, Ecclesiae et prim auctoritate ipsius Dei. – Haec tantum agendi ratio effectibus salutaribus non carebit. Probationes rationis solius non sufficiunt ut homines –

virtutem amplectantur vel a vitio deterreantur; homo enim quamquam intellegit optime virtutis pulchritudinem non facile fertur ad illius amorem, nisi sciat cum virtutis exercitio coniunctam esse mercedem aeternam; neque cito relinquit peccatum, nisi audiet illud maxime odiosum esse Deo, semperque ab illo puniri severissimis poenis. Modus dicendi oratoris sacri igitur similis erit agendi rationi matris, quae filio dilecto, nolenti ullis persuasionibus flecti ad aliquem amorem inordinatum deserendum annuntiat minas patris, qui statuit iam in corde immorigerum filium e domo eiicere atque testamento omni haereditate privare; similis agendi modo belli ducis, qui timidis militibus gloriam et gratitudinem patriae minoris aestimantibus; magnam mercedem signumque militare crucis, qua eorum pectora condecorabuntur promittit.

In dicendo curam habebit orator sacer ut eius oratio polleat unctione quadam spirituali, quae tam multum distinguit eloquentiam sacram a profana. Unctio autem tunc aderit, si oratori sacro non tantum persuasum est de veritate eorum quae dicit, sed si etiam ille perfusus est hac doctrina si illam amat et denique si in dicendo sequitur loquendi modum scripturarum et sanctorum patrum.

Ut denique ex agendi ratione oratoris sacri pateat illum in dicendo habere alium finem, quam orator profanus ille ante sermonem numquam debet omittere facere intentionem praedicandi ad maiorem Dei gloriam salutemque animarum atque in ferventi oratione implorare tum sibi ipsi auxilium, tum Spiritus s. gratiam

ad illustrandas mentes movendaque corda auditorum. – Desiderium praedicandi utiliter patebit si orator ecclesiasticus rationem habebit suorum auditorum captus. Sequatur, necesse est, in hoc exemplum Christi, qui dicit: „Adhuc habeo multa dicere vobis sed non potestis portare modo" (Jo. 16,12) et s. Pauli (I. Cor. III, 12.): „Non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus, tanquam parvulis in Christo lac vobis potum dedi non escam; nondum enim poteratis." – Utilis erit si attendet ad necessitates auditorum, tempus, circumstantias; verbo si oblitus sui in mente habebit solummodo bonum proximi et dilatationem regni Dei hisce in terris.

Si igitur orator sacer munere suo ita fungitur atque verus Dei legatus, qui unice gloriam Domini sui ante oculos habet dubium non est, quin multum laborare teneatur, multaque illi impedimenta vincere oportebit. Sed labor eius summa etiam mercede non carebit. Imprimis habebit conscientiam similem illi, qua consolatur vir dolorum, aerumnis vitae cumulatus: (Job. XXIX. 12–16). „Eo quod liberassem pauperem vociferantem et pupillum cui non esset adiutor, benedictio perituri super me veniebat et cor viduae consolatus sum. ... oculus fui caeco et pes claudo. Pater eram pauperum." Remuneratio eius spes, quam illi dant verba Dei: „Si separaveris pretiosum a vili, quasi os meum eris" (Jer. XV. 19.) et „qui converti fecerit peccatorem ab errore viae suae, salvabit animam eius[1] a morte et operiet multitudinem peccato-

[1] Verba haec saltem ultima de salutari effectu conversionis peccatoris multi interpretes cum Ven. Beda intellexerunt non tam de peccatore, quam potius de ipso convertente.

rum" /Joc. V, 20/. Merces eius denique erit gloria, quam Spiritus sanctus pro continuo zelo et cura gregis Christi promisit: "Qui cum apparuerit princeps pastorum, scribit ad pastores s. Petrus Ap. percipietis immarcescibilem gloriae coronam /1. Pet. V. 4/; quod iam multis saeculis antea promisit propheta Domini, dicens: Qui autem docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti; et qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stellae in perpetuas aeternitates." /Dan. XII. 3/.

O. A. M. D. G.!